



**Sylva carminvm in nostri temporis corruptelas, præsertim  
religionis, sanè quàm salsa & festiuæ, ex diuersis hinc inde  
autoribus collecta.**

<https://hdl.handle.net/1874/416859>

# SYLVA CARMI-

NVM IN NOSTRI TEMPO-  
RIS CORRUPTELAS, PRÆSERTIM RELIGIONIS,  
SANĒ QUAM SALSA & FESTIUЯ, EX DI-  
UERSIЯ HINC INDE AUTORIBUS  
COLLECTA.

## AD LECTOREM.

Libuit hic subiçere querelam de fide, p[er]ij et  
spiritualis cuiuspiam Pax ohi, ut uidetur, ame  
hoc nostrum seculum, nuper in Germania reper  
tam. ut uideas optime Lector, etiam ante nos suis  
se semper in Ecclesia aliquot pios et sanctos viros,  
qui cum publicè non auderent suum spiritum et  
sensem profiteri, tamen in angulis suis, ut erat tunc  
ecclesia in desertum pulsā per Draconem (ut Apo  
calypsis dicit) suum dolorem extillauerūt, et uis  
itationis diem suspirauerunt.

## Querela de fide.

**V**tri fratres, serui Dei,  
Non uos turbent rhythmi mei,  
Sed audite propter Deum,  
Flebilem sermonem meum.  
Mundum dolens circuiui,  
Fidem undiq[ue] quæsiui.  
Ubi unq[ue] fidem quero,  
Vel in plebe, uel in clero,  
Vel in claustro, uel in foro,  
Vbi fides sit ignoro.  
Fides nullibi apparet,  
Touis mundus fine caret.  
Filius non seruat patri  
Fidem, neq[ue] frater fratri.

Hec

3

Hec de sede sua ruit

Fides, quæ tam firma fuit

Quondam: et pro ea dolus  
Triumphat per orbem solus,  
Tam potenter et tam dire,  
Ne quis posset contrarie.

Quicquid dolus lubet esse,  
Hoc inferre est necesse.  
Clerus, populusque totus,  
Dolo subiacet deuotus.

Dolus Papam, Cardinales,  
Et Episcopos totales,  
Regit, et ubique Reges:  
Dolus glossat iura, leges.

Dolus omnia pro uoto  
Disponit, in orbe toto.

Qui cum dolo conuersantur,  
Illi sunt qui principiantur.

Sed qui dolum uerè nescit,  
Est abiectus, et uilescit,  
Et uocatur idiota,  
Non est dignus unaiota.

### De Prælatis.

Prælati Ecclesiærum,  
Habent dolum ualde carum.  
Nam per dolum præbendantur,

a 2

Et

**E**t potenter dominantur.

**A**estimo pro sensu meo,  
**Q**uod præbendas non pro Deo  
**P**urè dant: sed mos est sibi,  
**D**a mihi nunc, dabo tibi.

**S**ic ad inuicem colludunt,  
**A**tq; pauperes excludunt.  
**Q**ui redonant, illis datur,  
**D**e egenis non curatur.

**H**eu, quamobrem non attendunt,  
**Q**uod sic Christi bona uendunt,  
**Q**uae præcepit Deus dari  
**G**ratias, & non uenundari.

**D**æmonizant, & est æquum,  
**Q**uod mercede sumunt secum.  
**M**iror quid tunc respondebunt,  
**A**nte Deum dum parebunt:

**R**esponsuri de re gesta,  
**S**i sit uilis uel honesta:  
**V**bi genus, res, honores,  
**N**emini sunt adiutores.

### Ad Prælatos.

**A**duertatis uos Prælati,  
**Q**uantum oportebit pati,  
**P**ost hanc uitam pro peccatis.  
**V**t que iusta sunt agatis.

**E**t

Et curati sacerdotes,  
Possidentes amplas dotes,  
De salute animarum,  
Subditorum curant parum.

Nihil curant quam habere,  
Et hominibus placere.  
Non aduertunt ad clamores  
Pauperum, sed claudunt fores.

Sic nec subditis ut debent,  
Formam bone uitæ præbent:  
Sed per prauos suos mores,  
Multos ducunt in errores.

Canon regula notatur,  
Hinc Canonicus gignatur,  
Eo quod sub regulari  
Vita debent famulari,  
Cum deuotione Deo:  
Ipsi curant nil de eo,  
Sed libentius ad forum  
Currunt, quam frequentant chorum.

Vestes militares querunt,  
Nihil quam mundana ferunt.  
Raro impertiunt dignis  
Suas opes, sed malignis.

Quicquid eis supererisset,  
Hoc pro Deo dandum esset.  
Modò habent tam auarum

*Cor, quod nihil dant, uel parum.*

*De Monachis.*

*Item qui in claustris degunt,  
Iuxta normam se non regunt,  
Quam patres instituerunt,  
Sed quae uerita sunt querunt.*

*Vestes deferunt claustrales,  
Sed in mente non sunt tales.  
Namq; sub religiosa  
Veste, latet mens dolosa.*

*Rixas, lites, & rancores,  
Habent inter se maiores,  
Monachi & Moniales,  
Quam personæ mundiales.*

*Qui uult Satanæ seruire,  
Claustrum debet introire.  
Mali cogunt ibi bonos,  
Ut cantent eorum tonos.*

*De Monachis mendicantibus.*

*Item fratres Mendicantes,  
Omnes ferè sunt truffantes.  
Parent nam quod sint deuoti,  
Cum sint tamen nequam toti.*

*Quicquid prædicant sermone,  
Rarò complent actione.  
Metunt ubi nusquam serunt,  
Semper*

Semper plus quam sua querunt.

Oves alienas tundunt,  
Et parochias confundunt.

Dantibus applaudunt care,  
Sed qui nihil possunt dare,

Vel replere eis manum,  
Illos mittunt ad plebanum.  
Pulchre pro orare sciunt:  
His qui credunt capti fiunt.

Per uerborum apparatum,  
Aures penetrant magnatum.  
Valde diligenter notant,  
Vbi diuites ægrotant.

Ibi currunt, nec cessabunt.  
Donec ipsos tumulabunt.  
Sed ad casus miserorum  
Nullus ire vult eorum.

Puto uero quod prodeisset,  
Si in mundo nullus esset  
Monachus, uel Monialis,  
Sive secta Begynnalis.

Postquam enim sic creuerunt,  
Lex & fides perierunt,  
Et totius mundi status,  
Est in malum commutatus.

Vtrum culpa sit eorum,  
Noscit conditor cunctorum.

De genere nobilium,  
**Cæsar, Reges, & Marchio,**  
**Dux, Comes, miles, & Baro,**  
**Omnes principes terrarum,**  
**Possident de fide parum.**

Inter omnes non est unus,  
**Quin respiciat ad munus,**  
**Et iustitiam postponant,**  
**Pro eis qui dona donant,**  
**Per tyrannidem & gloriām**  
**Disponunt ubiq; terram.**  
**Magis querunt Christianos**  
**Debellare, quam Paganos.**

Non uerentur, non formidant,  
**Quod innocuos occidant.**  
**Cur tan dirè sinit Deus,**  
**Quod occidit iustum reus?**

Quondam qui milites statuti  
**Erant, ut per eos tuti**  
**Essent uide, pupilli,**  
**Clerusq; nunc & illi**

Tales minimè defendunt,  
**Sed prædantur & intendunt:**  
**Cor eorum magis pronum**  
**Est ad malum, quam ad bonum.**

De ciuib; & nobilib;  
**Ciues, nobiles, communes,**

Raro

**Rarò doli sunt immunes.**

**Nobiles iniuriantur,**

**Cives uero senerantur.**

**De omnibus his uel ullus**  
**Est fidelis, siue nullus.**

**Nautæ maris, & coloni,**  
**Qui fuerunt quondam boni:**  
**Sic peruerit eos dolus,**  
**Quod uix iustus unus solus.**

**De mercatoribus,**

**Item mundi mercatores,**  
**Quid sunt huc quam truffatores?**  
**Siue emunt, siue uendunt,**  
**Semper fallere prætendunt:**

**Dcum sanctosq; periurant,**  
**Et mentiri parum curant.**  
**Quando boni nummi uadunt,**  
**Statim eos igni tradunt.**

**Sicq; manet pagamentum,**  
**Scoria, & non argentum.**  
**Sic confundunt mundum totum,**  
**Istud undiq; est notum.**

**Pondus, numerus, mensura,**  
**Simul omnis mercatura,**  
**Sic per ipsos sunt infectæ,**  
**Quod uix unus agit rectè.**

**Nisi Deus opem præstat,**

Deperire mundum restat:  
Tot & tanti est reatus,  
Et tam prauus nunc est status,

Natus ante annos mille,  
Verè felix fuit ille.

O quam uenenosa pestis  
Fœnector, falsus testis,  
Fur, periurus, latro, mœcetus,  
Homicida, tantum decus  
Habent, tanquam probi viri.  
Quicquid potest nunc acquiri,  
Sive bene, sive male,  
Est hominibus æquale.

Nullus deuitatur questus,  
Quantumcumq; in honestus.  
Lex & disciplina perit,  
Nemo quod est iustum querit.

Nemo facit id quod debet:  
Nemo alteri hoc præbet,  
Quod habere uult ab eo:  
Nemo curat iam de Deo,

Bryam ebriū Nemo curat modò \* bryam,  
dixerant in Nemo tenet rectam uiam.

tchous no-  
ñiræ pueri-  
tæ, quasi  
extra bryam, Nemo curat confiteri.  
ad eit mensu- Et quando confiteatur,  
ram. Inde parum emendatur.

11

Iam nec *populus*, nec *clerus*,  
Est in suo statu uerus.

Liquet fratres, quòd erramus,  
*Tempus* est quòd redeamus:  
*Tempus* est nos conuertendi,  
*Tempus* est nos poenitendi,  
*Tempus* est nos redeundi,  
Ab errore falsi mundi.  
*Tempus* est nos emendandi,  
Verè *tempus* est plorandi.

Scimus quia transit hora,  
Redeamus sine mora.  
Redeamus, non tardemus,  
Vitam nostram emendemus.  
Nemo debet desperare,  
Nemo debet dubitare.  
Tam misericors est Deus,  
Nemo uiuit ita reus,  
Quin si ueniam precetur,  
Deus eius miscretur.  
Amen deuotè dicamus,  
Ut cum Christo maneamus.

ECCLESIAE ET SIMONIAE  
colloquiū, nuper in Heluetijs ex uetustissimo codice descriptum.

EC. Quid Simonia furis, totius adultera iuris?

Quid

Quid mea conturbas, per auaras improba turbas?  
 Ponis ubiq; forum, sequitur te turbo malorum.  
 Que mea sunt tollis, tu ferrea pectora mollis,  
 Nunc promittendo, nunc dando, uel accipiendo:  
 Diripiſ, expendiſ, per mundum brachia tendiſ.  
 Omnia tentando, gradibus cunctis inhiando.  
 Non facis ararum, sed presbyteros decimaruſ.  
 Præpositos uanos tu præficiſ, atq; Decanos,  
 Res agis Abbatum, regis & das Pontificatum.  
 S I. Non ego tantorum sum planè causa malorum,  
 Sed quia maiores piget excoluisse minores.  
 Et dare ſponte bonis refugant poſſeſſa patroniſ:  
 Hinc bene maiores non præſtant gratis honores.  
 Quod latet extrudunt, male clauſa metalla recli-  
 Uſibus exponūt, quod auari quiq; reponunt. (dūt.  
 Diuite iam uena caret infarcita crumena,  
 Inuolucris tutis, tineis ex ea minutis.  
 Quodq; negabatur prius, uſibus ecce paratur.  
 Rem puto diuinam fore talia, non Simoniam.  
 E C. Quām bene protecti ſunt hi per pallia recti,  
 Ipsa uenenoſe quoſ falliſ, & inſidioſe,  
 Quoſ male blanda bonoſ uis appellare patronoſ,  
 Rebuſ abuſenteſ, mundiſcelerumq; potenteſ.  
 Nā bene que captant, ſibi que ue licentius aptant,  
 Haec bona; quiq; boni ſint, dicunt perditioni,  
 Iudicio indigno, cum poſſeſſore maligno.  
 Vnde tuam partem cupiſ expurgaffe per artem,

Hinc

Hinc magis argueris, magis esse nocia uideris,  
 Dona quod extrudi facis, & in \* recludi  
 Nec dare uis gratis, quæ sunt diuina probatis.  
 Sed reprobis uendis, mercemq; per omnia tendis.  
 S I. Quæ mea sunt uero, mihi quod licet accipien-  
 Ut dare præsumo, sic terrea dona resumo. (do:  
 Non decus ararum, sed distraho res decimarum.  
 Vendoq; securè mansus qui sunt mihi iure.  
 Cœlica tractantur, quæ Pontifices moderantur,  
 Ordoq; sacrorum celebratur more priorum.  
 Quid rogo miraris ? uel quid liuore grauaris?  
 Dum sacra spargamus, carnalia si qua metamus.  
 Paulus id expresse, non magnum prædicat esse.  
 E C. Arte modò sibi qua mens ab mentitur iniquas  
 Et male scripturas uitio transuertere curas.  
 Cur tibi terrarum ius attrahis ecclesiarum?  
 Consonat his certè quæ dicam, Paulus aperte.  
 Quis sibimet debet, sibi quis' ue stipendia præbet,  
 Militiæ morem peragens, durumq; laborem.  
 Subtus certanti, dat præmia rex superanti.  
 Pro stipe seruorum sic censeo cuncta meorum,  
 Quæ mihi, quæ ccelis, delegat quisq; fidelis,  
 Sumpitus in castris, dat præmia Christus in astris,  
 Qui mihi debetur, non iuste sumpitus emetur.  
 Non est uendenitis, bene sed certando merentis,  
 De re carnali, uel semine spirituali,  
 Discipuli Christi fallens exempla dediti.

Victum

Victum quærebat, dum uite uerba serebat.

Hæc sibi poscebat, sed egenis prospiciebat.

Ordine scriptorum patet istud ubiq; suorum.

S L. Mira resers planè, quibus esse uidetur inane,

Iura quodd; ularum quis possidet ecclesiarum,

Si dabit iniutus, fuerit quo iure potitus.

Si dare cogetur, proprium nec uelle tenetur.

Si sua dans gratis, capiet nihil utilitatis.

Non ego non horum dominari quæro bonorum.

Non tria grana salis uileat possessio talis.

E C. Est patulū planè, quod præfers, q; sit inane.

Non sit amica bonis species hæc religionis,

Qua proprijs ueluti mihi competit, aut licet uti.

S I. Obsiruo nūc aures, si uerba profana restaures.

E C. Non nego uestrarum ius uobis ecclesiarum,

Sumite cunctarum iustas partes decimarum.

Debita uestrorum soluantur seruitiorum.

A grege quæratur, qui paruo præficiatur.

S I. Quod si cunctarum quæris res ecclesiarum,

Si gratis præstas, quid te iuuat ista potestas?

E C. Illa Deo debes: tua seruat, si sua præbes.

Et sibi iungeris, sua si commissa tueris.

Multa dat in ecclis, si sis in pauca fidelis.

Captat adhuc harū possessor id ecclesiarum, \*

Quod cū digna refert, sua quem concessio præfert,

Eiusdem partes per nullas deterit artes,

Rebus in ipsarum sibi quæ sunt ecclesiarum.

Quin

79

**Quam indeße studet illi commodus esse.**

S I. Esto ponatur, quod gratis honor tribuatur;  
Sed quibus intendis personis præficiendis?  
Num genus ignavum laudas, ignobile, prauum?  
EC. Hic sit honor gratis, quod \* rusticatis,  
Nescit honor quid sit, q̄ honestas, curia quid sit,  
Nil sapit urbanum, nil sentit deniq; sanum, \*  
Hoc genus exosum, tu clam̄as religiosum.  
Est modò diuinus, quem cingit amictus ouinus.

**DE CORRUPTIONE OMNIVM  
statuū, & imminēte mundi interitu, Satyra,  
ex eodem uetusto codice.**

Ad occasum cuncta ruunt,  
Sed & ipsa studia  
Quibus olim Roma potens  
Superabat fidira.  
Quando cœli templa uirgo  
Petiuit Cyllen a,  
Totus mundus in errorum  
Voluitur caligine.  
Nullus curat obedire  
Verbis sapien̄iæ.  
Non senectus, non iuuentus,  
Non ætas infantiæ.  
Non clerici, non sacerdotes,  
Non eorum præfules,  
Non conuentus populorum,  
Non

Non eorum principes.  
 Cuncta proh dolor, ad suum  
     Properant interitum.  
 Monachorum norma fugit,  
     Perit uita angelica.  
 Crescit rancor, crescit ira,  
     Crescit et inuidia.  
 Quod in ipsis Christi fuit,  
     Mammona surripuit.  
 Totus iam mundus senescens,  
     Malos edit homines,  
 Et in bonis imbecilles,  
     Et ætate fragiles:  
 Et à prisca rerum forma  
     Discolorant omnia.  
 Premit reges præpotentes  
     Impotens ignavia.  
 Effrenos male corrumpit  
     Dulcis insolentia.  
 Monachi cum toto clero  
     Tabescunt desidia.  
 Perit indisciplinata  
     Rustica simplicitas,  
 Verbi Dei aliena,  
     Et pastoris indiga.  
 Ouis Christi per deserta  
     Vagatur erratica.

Cuncti

Cuncti namq; præpediti  
 Curis secularibus,  
 Plebem Dei castigare  
 Miseri negligimus.  
 Sic paulatim nauis Christi  
 Sine nauta mergitur.  
 Sic præceptis contrâ imus,  
 Sic Christum negligimus:  
 Qui lex esse deberemus,  
 Sic legem confundimus.  
 Sic contempto redemptore,  
 Ad hostem conuertimur.  
 Sic omnes præuaricati,  
 Nil docere possumus.  
**A**t si quosdam uerbis tantum  
 Docere præsumimus,  
 Hoc erit, cum facta desint,  
 Dedocere potius.  
 Nam uerbis facta pensantes  
 Quum magistros uiderint  
 Sequi uiam, mox tenebunt  
 Dociles discipuli:  
**R**uituri cum magistris  
 Ad infernum sceleris.  
**H**inc est quòd multi uagantur  
 Laico sub habitu,  
 Arma ferunt, bella querunt,

b

Contra

Contra fas superbiunt.  
 Quod deberent Saluatori,  
 Referunt ad Zabulum:  
 Alienæ quisq; sibi  
     Violenter appetit.  
 Et totum peruerit rapax  
     Seculum cupiditas.  
 Mores turbat, scindit fratres,  
     Sacras leges temerat.  
 Versipellis, fraudulentus,  
     Adulator callidus,  
 Primas partes fortiuntur  
     De bonis alterius.  
 Vbicunq; libert malis,  
     Ius reclamant proprium:  
 Et quis potest, quanta laude  
     Dignus sit, coniçere,  
 Falsum illum qui peierans  
     Fratrem nouit fallere?  
 Hinc namq; primus uocatur,  
     Qui primus in scelere.  
 Nullus nostra tempestate  
     Iustus iudex cernitur.  
 Est Astræa ueius uerbum,  
     Veritas est somnium.  
 Præualenti mendosa uerba,  
     Veritas est fabula.

Ad

*Ad mensuram nummi fiunt*

*Omnia iudicia.*

*Frustra stat ante tribunal*

*Pauperum simplicitas.*

*Frustra clamat uox pupilli,*

*Frustra plangunt uiduae;*

*Si quid enim sine nummis*

*Ad tribunal obsecras,*

*Nihil iuuat, nihil prodest,*

*Verba fiunt mortua.*

*Tibi uero, si quid dabis,*

*Frons arridet iudicis.*

*Sedet index in occulto,*

*Capiendo simplicem:*

*Mulcet illum blandimentis,*

*Minis terret uarijs,*

*Donec sibi abstrahendo*

*Quadrantem det ultimum.*

*Nummus erit Imperator,*

*Nummum colunt principes;*

*Nummus regit, nummus regnat,*

*Nummus & iustificat.*

*Quod in Deo non disponunt,*

*Per nummum hoc faciunt.*

*Si non habet pauper nummum,*

*Facti reus dicitur.*

*Iudex damnat innocentem,*

Dans nocenti ueniam.  
 Plena cui crumena pendet,  
     Hic iustus clamabitur.  
 Sic est nummus imperator,  
     Sic deridet miseros.  
 Annui, ne dicant uerum,  
     Summis potentatibus.  
 Domat reges, et uenale  
     Efficit iudicium.  
 Nulla uirtus est perfecta,  
     Hac ætate pessima.  
 Nullus bonus, cui non insit  
     Quædam deprauatio.  
 Pauci sunt qui uiuant castè,  
     Nisi per hypocrisim.  
 Ternis est libido fœda  
     Coniuncta pedis equis.  
 Per quas totum replet mundum  
     Vaga petulantia.  
 Quarum trium uix est ullus  
     Non fœdatus macula.  
 Scilicet adulterorum  
     Post hanc immundicia,  
 Et leprosa Sodomorum  
     Tertiant contagia.  
 Hæc pro certo lœdant Christum,\*  
     Cum deturpant sæculum,

Omne

Omne genus in proclive  
 Vitiorum trahitur.  
 Nullus metus, nullus pudor  
 Abutenti uitio.  
 Insuper dignus est laude  
 Magister in scelere.  
 Nec ad Deum, nec ad sanctos  
 Vlla reuerentia.  
 Ridet excommunicatus  
 Præfulus imperia.  
 Nullus macer ex iniuncta  
 Sibi poenitentia.  
 Sæua furit atq; totum  
 Perturbat Tisiphone.  
 Paßim clamor, paßim cædes,  
 Bella strident undiq;  
 Pax non redit fugitiua,  
 Neq; cessant prælia.  
 Omni die crescit malum,  
 Abundat iniquitas.  
 Ideo per totum mundum  
 Refrigescit charitas.  
 Antichristum iam inuitat  
 Hominum malicia.  
 Nullum ledat, inhumana  
 Tetigisse uitia.  
 Neq; triste ferat ille

Occultus hypocrita.  
Quando mibi nullo pacto  
Mea parcit Satyra.  
Esse namq; cum non uelim,  
Dici uolo Clericus.  
Incedo quasi modestus,  
Coronato uertice,  
yt sic clarus esse possim,  
Sub Cleri uelamine.  
Probo mala, tento bona,  
Quia peruerse cogito:  
Cute lotus, mente foedus,  
Ad altare supplico,  
Hoc non esse Christiani  
Certus, non considero.  
Hoc infelix non obseruo,  
Quod dicente Domino  
Legitur, Si munus offers  
In templi sacrario,  
Relinque, donec offerri  
Corde poscit nitido.  
Fornicem relinquens foedum,  
Impudens altarium  
Accedo, sic rursum foedus  
Relinquo sacrarium,  
Recurrens ad usitatum  
Denuò uolutabrum.

O miser, gehennæ flamas  
Aliquando cogita.

Et cum peccatrice cadens

Ad Christi uestigia,

Resurge cum fide magna

De misericordia.

Restant multa preter ista,

Quæ non ebro tangere.

In peccatis totum mundum

Cernimus defluere,

Ac ubiq; deseuirc

Rabiem discordiae.

Breue tempus habet mundus,

Instat dies Domini.

Non uult Deus sanctos suos

Falsa pace decipi,

Vt possint probatores

Inter plagas fieri.

Sed tu Deus, omnem sensum

Cuius pax exsuperat,

Inter seua tuis seruis

Iam succurre scandala,

Vt adhuc in bona tibi

Possint uita uiuere,

Ne fiat longinqua nobis

Tua miseratio.

Qui dixisti tuis seruis,

Cum hæc esse cœperint,  
**E**xultate, quia uestra  
     Propinquat redemptio.  
 Cuius nos redemptionis  
     Facias particeps,  
 Et in cœlis inter diuos  
     Exultare proceres,  
**V**bi regnans I E S V C H R I S T E  
     sine fine permanes.

A M E N.

**R**HYTHMI SE QVENTES EX  
     uetustiss. etiam codice membranaceo in  
     Burgundia reperto, bona fide  
     sunt descripti.

### Christus ad sacerdotes.

Piscatores hominum, sacerdotes mei,  
 Präcones ueridici, lucernæ diei,  
 Charitatis radio fulgentes, & spei,  
 Auribus percipite uerba oris mei.

Vos in sanctuario mibi deseruitis:  
 Vos uocauit palmites, ego uera uitis:  
 Caute ne steriles, aut inanes sitis,  
 Si mecum perpetuò uiuere uelitis.

Vos estis catholicæ legis protectores,  
 Sal terræ, lux hominum, ouium pastores,  
 Muri domus Israel, morum correctores

Vigiles

Vigiles Ecclesiæ, gentium doctores.

Si legis protectio cadat, lex labetur:  
Si sal euauerit, in quo salietur?  
Nisi lux appareat uestra, nescietur:  
Et ni pastor uigilet, ouile frangetur.

Vineam meam cœpistis procurare,  
Hanc doctrinæ riuulis debetis rigare:  
Spinas atq; tribulos procul extirpare,  
Ut radices fidei possint germinare.

Vos estis in area boues triturantes,  
Prudenter à palea grana separantes:  
Vos habent pro speculo legem ignorantes  
Populi, qui fragiles sunt & inconstantes.

Quicquid uident Laici uobis displicere,  
Dicunt proculdubio sibi non licere:  
Quicquid in opere uident adimplere,  
Credunt esse licitum, & culpa carere.

Cum pastores ouium sitis constituti,  
Ne estote desides sicut canes muti:  
Vobis non deficiant latratus acuti,  
Lupus rapax inuidet ouium saluti.

Grex fidelis triplici cibo sustinetur:  
Meo sacro corpore, quo salus augetur:  
Sermonis compendio, quod discretè detur:  
Ciboq; corporeo, ne periclitetur.

Omnibus tenemini \* uos uiribus cōmunicare:  
Sed quibus, quid, qualiter, ubi, quando, quare,

Debetis sollicitè præconsiderare,  
Ne quis in officio dicat uos errare.

Spectat ad officium uestræ dignitatis,  
Petentibus gratiis mea dare gratias:  
Nec cuiquam fratrum munera prendatis,  
Ne cum Giezi pariter lepram incuratis.

Gratis eucharstiam plebi ministrate,  
Gratis absoluite, gratis baptizate:  
Vobis data gratis, cunctis gratis date,  
Salutemq; omnium sedulò curate.

Vestra conuersatio sit religiosa,  
Munda conscientia uita uirtuosa:  
Regularis habitus, mensq; gratiosa,  
Nulla uos coinqinet labes criminosa.

**Luxus ue  
uestis** Nullus fastus eleuet † statum uestræ mentis,  
Grauis in intuitu habitus sit testis,  
Nil uos illaqueet curis in honestis,  
Quibus claves traditæ sunt regni cœlestis.

Estote breuiloqui, ne uos ad reatum  
Protrahat loquacitas, nutrix uanitatum.  
Verbum quod loquimini, sit abbreviatum:  
Nam in multiloquio non deest peccatum.

Estote benevoli, sobrij, prudentes,  
Iusti, casti, simplices, piij, patientes,  
Hospitales, humiles, subdidos docentes,  
Consolantes miserios, prauos corrigentes.

Nam si sic egeritis curam pastoralem,

Vereq;

Vereq; uixeritis uitam spiritualem,  
Postquam exueritis chlamidem carnalem,  
Ipse uobis conseruat stolam immortalem.

A M E N.

## APOCALYPSIS FRATRIS

Ioann. de bella lauda.

Dum sub una noctium diu uigilauit,  
Vidi tandem dormiens somnium, & expauit:  
Vnum quod uideram sub hoc somno graui,  
Meo mihi Iacobabo scribere curauit.

Ecce mihi grauiter merso sub sopore,  
Angelus cum nimio astitit fulgore,  
Manu gerens gladium, uolumen in ore,  
Et utrumq; fluidum flammeo cruento.

Hec uidens tunc, tremui mente consternatus.  
Mori quidem metuens, multum lachrymatus,  
Præ metu & extasi non sum suscitatus:  
Me leuauit angelus, taliter affatus:

Conserue, ne fleueris, & noli timere.  
Hec nam tibi datum est secreta uidere,  
Quæ iam te mysteria decet me docere:  
Hec cum tempus uenerit, non poteris silere.

Per ensim, quem sanguine porto cruentatum,  
Principis & populi punio peccatum:  
Volumen quo baulo cruento roratum,  
Prælatorum continet, & cleri reatum.

Cum præ metu halitus uix in me semitur,

Vox

Vox dicentis, Vindica, de summis auditur:  
 Vibrat ensem angelus, & unus ferit:  
 Quo percusso, paululum liber aperitur.

Aperta sunt folia mihi tantum bina,  
 Et ecce sub brevibus in lingua Latina  
 Abbatum apparuit error & ruina,  
 Plus scripturæ continens quam pellis ouina.

Euolauit angelus ad tribunal Christi,  
Qui mihi mox rediens ait uoce tristi:  
 En quod nosse præsulum uæ non meruisti,  
 Pauca de Abbatibus scribe quæ uidisti.

In cor meum imprimens carmen quod digessit,  
 Angelus dispartuit, uisio recepit.

Bella mihi uideo, tamen non tacebo,  
 Non loqui quæ noueram, uera, non uelabo.

Correpturus igitur Abbatum errores,  
 Quorum nimis miseri sunt modi & mores:  
 Sed quum sciri nequeant qui sunt grauiores,  
 Tangam sub compendio paucos leuiores.

Assequuntur hodie præui potestates,  
 Nouimus & præsules præuos & primates:  
 Cum de bonis optimus Abbas eligatur,  
 Factus Abbas subito de bono mutatur.

Et peior est indies, bonis aduersatur,  
 Persequens crudelius à quibus creatur.  
 Per præuos peruertitur lex & ordo rerum,  
 Dies enim mali sunt: sed ut dicam uerum,

Abbatum

*Abbatum malicia malorum dierum,  
Transit nephas dæmonum, & fraudes mulierum.  
Miror cur optabilis fit Abbatum status,  
Per quem fit ex humili subito elatus.*

*De miti malevolus, de grato ingratus,  
De fideli perfidus, de iusto damnatus.*

*Fideles & humiles Abbates electi  
Sunt superbi subito, & fures effecti:  
Bona Christi dissipant peregrè profecti,  
Euntes in tenebras exterioreas electi.*

*Abbas uendit redditus terre, & armentum,  
Ponens in marsupio abscondit talentum.  
Non est cum bursario numisma inuentum,  
Et Abbales in caphino marcas habent centum.*

*Abbas ut cœnobium penitus confundat,  
Non natarum ouium uellera uenundat:  
Quicquid damni geritur, in gregem redundat:  
Nam grec miser esurit, & Abbas abundat.*

*Murmuris occasio Abbas reperitur:  
Decem enim perimit, qui male partitur.  
Abbas bene quinques in anno uestitur,  
Et cucullam monacho per lustra largitur.*

*Abbates fastidiunt piper & farina:  
Et olus conuentuum fit, sine ferina:  
Abbates reficiunt hoedus & gallina,  
Et dabuntur singulis fratrum ouabina.*

*Abbati post zinziber defertur pigmentum,*

Et insulsum ponitur fratribus pulmentum:  
In Abbatis stabulo pinguescit iumentum,  
Et panis penuria cruciat conuentum.

In Abbatis camera fratres cum epulantur,  
Confessentes paribus cibis non cibantur.  
Carnes enim martyrum Abbati portantur,  
Et infirmis fratribus confessores dantur.

Caudam crissans catulus charius habetur,  
Quam inclinans monachus qui Deum ueretur.  
Sensati uiri durus sermo deridetur,  
Palpanti mendacio fides adhibetur.

Abbas mortem grauius ouium duarum  
Plangit, quam pericula decem animarum:  
Plus pensat sollicitus de pullis equorum,  
Quam de ægris fratribus natis feminarum.

Benedictus usus est sacco cilicino,  
Abbas lana hodie leniori lino:  
Bernardus se pauerat filio fazino  
Saginatur Abbas hodie olco porcino.

Benedicti regula spretrix proprietorum  
Erat, sed est hodie cultrix idolorum.  
Bernardus adduxerat numerum domorum,  
Syncopa fit hodie centum monachorum.

Abbatum maliciam per pauca pretendi,  
Quorum et iniuriam ad praesens defendi,  
Dum suum per singula nephæ non ostendi:  
Peto tamen ueniam, si forte offendi.

Rhythmus

31

RHYTHMVS FRATRIS RAY-  
mondi Corneti, monachi monasterij  
Bithani, ordinis Cisterciens.

Olim nostrum ordinem principes amabant,  
Et Romani præsules ipsum decorabant,  
Grata priuilegia gratis nobis dabant,  
Et præter suffragia nihil postulabant.

Nunc est tributariorum idem ordo factus,  
Ad communem hominum sortem est redactus:  
Seruituti subiacet, totus est confractus,  
Pro subventionibus ad usuras tractatus.

Olim dum simplicitas ordinis uigebat,  
Illos laudabant homines, nullus nos ludebat:  
Collectas ab ordine nullus requirebat,  
Sed ordo pacifice Deo seruebat.

Nunc uidentes alicui graues apparatus,  
Equos sannarios, splendidos ornatus,  
Dicunt: Nisi locuples eſſet horum status,  
Non ualeant ducere tales equitatus.

tales.

Propter terras etiam uincas & prata,  
Quæ sunt à fidelibus quondam nobis data,  
Nos rident, nos lacerant, dicunt: Nimis latæ  
Sunt bona, quæ poffidet gens hæc cucullata.

Ipsi non considerant, que nos laboramus,  
Non ut nos tantummodo, sed multos pascamus:  
Superuenientibus bona nostra damus,  
Et exinde modicum nobis reseruamus.

Nos

Nos sumus in pluribus similes iumento,  
Cui datur palea excuso frumento.  
Sustentamur etenim pane & pulmento,  
Seruato hospitibus tanto nutrimento.

Nos sumus agricolæ, sed agricultura  
Sæpe fit immixtis nobis propter plura.  
Nam corrupti aeris turbata natura,  
Modò lœdit vineas, modò rura.

Quid prodest tot vineas, tot agros habere,  
Laborare iugiter, & semper egere?  
Mendicis ordinis melius est uere,  
Quam nobis, qui talia uident habere.

Papa nihil exigit ab eo sibi dari,  
Quia nudus aliquis nequit spoliari.  
In hoc solent ordines isti gloriari,  
Qui possessionibus nolum onerari.

Ipsi nihil possident, nec sunt indigentes:  
Colunt enim diuites, frequentant potentes:  
Apud eos comedunt, dapibus utentes  
Quæ sibi conueniunt, nihil respuentes.

Surgentes à prandio, remotisq; mensis,  
Benedicunt dominum manibus extensis:  
Retributis hospiti gratijs immensis,  
Recedunt, nec computant de factis expensis.

De ista materia iam ne plus loquamur,  
Sed omisis alijs ad nos reuertamur,  
Pœnas huius temporis latè patiamur,

*Vt bonis cœlestibus frui mereamur.*

*Signum est quod Dominus non uult nos perire,  
Qui nos tanquam & non cessat ferire:  
Ipse per hæc tristia det nos sic transire,  
Quod ad uera gaudia possumus uenire.*

A M E N.

AD LECTOREM.

**Q**uae sequuntur Epigrammata diuersa ex diuersis collegimus, non ob aliud quam ut lectionis tedium leuarent, & ueritatis studioso tibi, quisquis es Lector, animum tot bonorum atq; eruditorum uirorum testimonia magis magisq; confirmarent. Itaq; ne ea perlegere, quando lectu dignissima profectio sunt, pigeat.

In Simoniam, Gilberti Duchensis  
Epigrama.

O' utinam atq; utinam, quod uotis omnibus optem,  
Pontifices ipsos hæc tetigisset acus:  
Ne sancta ara foret rutilo contemptior auro,  
Neu grauior nummus numine, libra libro.  
Neu largiretur, pro Petro, iam omnia Simon  
Ad loculos, pulsis funditus Ambrosijs:  
Hæresibus nullis hæc ætas nostra pateret,  
Nutriment Christi pascua sancta gregem.  
Nunc quum Simoni, pro Petro, Ecclesia seruit:  
Languescis, paucis interitura, Fides.

• Fidelis

Fidelis pastoris institutio, ad Philibertum Carrium. eiusdem

G.D.

**Vt possis ueri officium pastoris obire,**

Tuoq; fungi munere:

**Turpis auariciæ studium uitabis iniquum,**

Et lucra, Carri, pessima.

**Si te cura gregis, studiumq; fidele tenebit,**

Ouitamq; amor uerissimus:

**Paneq; doctrinæ, & diuini flumine uerbi**

Pasces easdem sedulò.

**Vt græx securus maneat, nulloq; timore**

Percussus angatur animi:

**Tetros passim autem niuea sub ueste latentes,**

Arcebis instanter lupos.

**Præterea speculum, exemplar, lux, fama, lucerna**

Operum bonorum, ac dux tuis.

**Ad Pauli exemplum, proprio sic uiue labore,**

Ne sis onus nimium tuis.

**Pastorum hinc Christus, pastor uerissimus ille,**

Stipendum reddet tibi.

In Sacerdotum luxum.

Con.Celtis.

**Nulla sacerdotū luxu nunc casta puella est,**

Causaq; criminibus sunt sacra tēpla suis.

**Nam plures totum non congregerentur in annum,**

Illis colloquium dat modò sacra domus.

Hac

Hac tractant fœdas turpi cum murmure merces,  
 Cœu solet in medio turbâ profana foro.  
 Iuppiter hoc poteris sacras audire per aras,  
 Et non fulminea concutere arma manu?  
 Sed rudibus populis illudunt numine cœli,  
 Excusatq; sacros culpa tacenda uiros.  
 Utq; de e quondam fuerant simulacra silentis,  
 Que preßit digitis muta labella suis:  
 Hac modo sacrorum cohabet reticere uirorunt  
 Delicta, in cœlum dicere uerba uetans.  
 Gregorius primi Friderici tempore regni,  
 O' quantum incauti pectoris egit opus?  
 Ille sacris uetus celebs connubia leclis,  
 Liberior uitijs ut sacra uita foret.  
 Nullus enim pudor est teneras uiolare puellas,  
 Et neq; legitimas sollicitare faces.  
 Quiq; uno quondam fuerat contentus amore,  
 Ille modò plures ritè souere potest.  
 Inde pater sanctus numerosa prole beatur,  
 Legitimans nummis pignora spurca suis.  
 Pignora, que luxus, semperq; superbia patris,  
 Et sacræ matris sœua libido coquit.  
 Cumq; Dei soboles pater est, se se ille nepotem  
 Prædicat, & summi progeniem esse iouis.  
 Quodq; magis turpe est, sacratæ filius ædis  
 Laudes a stupris gestit habere suis.  
 Illorum nihil est quia penè salacius orbe,

*Et gula, quæ nullis est satiata cibis.*

*Plena mea his patria est, & plenus Rhenus et Ister,  
Vistula, & Arctoi littora curua maris.*

*O sacer, & magno es nummus uenerâdus amore,  
Quo duce legitimus spurius esse potest.*

*Iulia lex rasa est, nostro dum tempore quisquis  
Natus adulterio nobilis esse potest.*

*Sit quamvis cunctis in legibus omnia Caesar,  
Debuit hoc saltem non licuisse sibi.*

In Monachos. M. Bent.

*Piscantem Petrum Andrea cum fratre uocasti  
Christe, gregis faceres lucra ut opima tui.*

*In prædam sed rasa cohors sua retia laxat  
Papa tibi, atq; hominum millia multa trahit.*

*Nam cū ex te manet monachorū exercitus omnis,  
Sic totis animis ad tua iussa ruit.*

*Autorisq; sui tetram conuertit in aluum,  
Quicquid alit mundi credula simplicitas.*

*Hic bullis instructus adest, atra ille cuculla,  
Funeq; inescatos pelliciens miseros.*

*Heu miseros, tanta quos impigra turba sagena  
Cingit, & heu nassam cogit adire suam.*

*Sacra superstitione, in quæ non discriminat mundum  
Pertrahis, & rapido mergis acerba fredo;*

De Romæ nomine. I.A.Brasf.

*Questum uario ingenio est, quo limite Roma  
Dicta, dabant lucē quæque palata suam.*

Presbyter

Presbyter è medio conuentu exurgit, et inquit,

Cuiq; suum caput est, et mea sensa feram.

Roma, manus quoniam rodit, sic dicta probatis

Testibus: hanc petij diues, inops redeo.

Responsum Pasquilli de Roma.

Io. Vultej.

Roma quid est? quod te docuit præposterus ordo.

Quid docuit? iungas uersa elemēta, scies.

Roma amor est: amor est: qualis? præposterus unde

Roma mares. Noli dicere plura, scio. (hoc)

De Paparum creandorum ritu

immutato. Ioan. Pan-

nonij.

Femina Petre tua quondā ausa sedere cathedra;

Orbi terrarum iura uerenda dedit.

Hinc compressa quidem multos latuisset in annos,

Facta foret partu ni manifesta nouo.

Post hæc Roma diu simili sibi cauit ab astu,

Pontificum arcanos querere sueta sinus.

Nec poterat quisquam reserantes æthera claves

Non exploratis sumere testiculis.

Cur igitur nostro mos hic iam tempore cessat?

Ante probat quòd se quilibet esse marcm.

In falsos Monachos. Io. Vult.

Quid nescire malis, quid non cōmittere credis,

Quid falsos monachos fingere posse negas?

**A**d quodvis facinus prompti, docti<sup>q</sup>; malorum  
Procurant, patitur quicquid, & orbis habet.

**I**mponunt, dominant, clamant, moechantur, aberrat  
A' uero, sternunt ad mala cuncta uiam.

**H**os miserum uulgas credit, miratur: & ipsum  
Quod suadent, uero uerius esse putat.

**T**am fera mostra malis monachis nō cōtinet orbis,  
Hos tamen ut sanctos credula turba colit.

**D**e bonis monachis. Eiusdem.

**Q**uid nescire boni, quid non committere credis,

Quid ueros monachos fingere posse putas?

**A**d uirtutis opus prompti, docti<sup>q</sup>; bonorum  
Procurant, sentit quicquid, & orbis habet.

**S**olantur, lugent, cantant, patiuntur, & augent  
Verum, præscribunt ad bona cuncta uiam.

**H**os sanctos populus laudat, miratur: & ipsum  
Quod suadent, uero uerius esse uidet.

**I**ustius hoc toto monachis nil uiuit in orbe,  
Hos tamen ut miseros liuidus orbis habet.

**P**apa. I. Sap.

**S**implicitas tantum fecit male prouida Papam,

Vt nihil ad Papam dixeris esse Deum.

**I**n Paulum II. Pont. Max.

**I**ani Pan.

**Q**uum sit filia Paule, sit tibi aurum,

**Q**uantum Pontifices habere raros

**V**idit

Vidit Roma prius, pater uocari  
Sanctus non potes, at potes beatus.

Idem, in eundem.

Pontificis Pauli testes ne Roma requiras,  
Filia quem similis sat docet esse marem.  
Sanctum non possum, patrem te dicere possum,  
Cum uideo natam Paule sedere tuam.

De Monacho indocto. Ant. Gou.

Discite, ait populo monachus, cū uerba tonaret,  
Quām doceret, cœpit antē facere Deus.  
Qui, stupidus quamuis, lapsum se turpiter eſſe  
Vt uidet, errorem quo tueatur ait:  
Si brevia extendo, si longa coerceo uerba,  
Nec retinet tempus syllaba quæq; suum,  
Nil mirum est. annis fertur fecisse triginta,  
Patris iuſſa, rudes instituisse tribus.

In Papam. Seb. Cast.

Vox asini uulpem non uisi terruit ingens,  
Nam patulis montes fauibus icla quatit,  
Ast ubi terroris didicit quæ causa fuiſſet  
Vulpes, Quid timui bestia( dixit ) ego?  
Sic ego uentosi metuebam fulmina Papæ,  
Que rigidis etiam montibus horror erant.  
Ast ubi bullati patuit persona Tonantis,  
Bestia( dicebam ) territus his ne fui?

## De eodem.

Οὐκέτε τομφόλυγας ἡμῖν δοσιώτατε πόλει,  
Οὐδεὶς τομφολύγων σύθαίδε μάται αὐτῷ.

## De eodem.

**N**escio quis deus est uento bullatus inani,  
Quem mira bullis flauerat arte faber.  
**I**s deus arte potest ex auro reddere bullas,  
Aurumq; è bullis sœnore multiplici.

**N**ec renuit cuiquam bullosas uendere bullas,  
Imò etiam bullas sœpe coegit emi.

**O**fficijs adeò bullatis grandia bullat,  
Nulla tamen gratis turgida bulla uolat.

**Q**uòd si quis bullis bullari fortiè recusat,  
Ebilit, & bullas fulmina sœua iacit.

**A**t quales bullas? bullas, queis turribus altis,  
Montibus & summis bulleæ bella gerit.

**S**ancte pater, bullis quam belle bella ministras,  
Sed tamen esse mihi nil nisi bulla potes.

## De eodem.

**T**urgidus ille quis est? solio qui bullat in alto?  
Is Deus est, & erat nil, nisi bulla foret.

**Q**uid prestare solet? bullatas uendere bullas.  
Quid profundit bulleæ? bulleus ut sit homo.

**Q**uem morbū sanat? bullantis hydropa crumenæ:  
Unus in hoc morbo præterit Hippocratem.

**S**iccine bulleus est? imò quos nutrit, alitq;,  
Omnies euadunt bulleæ turba statim.

De Pau-

**De Paulo & Xysto, summis Pon-**  
**tificibus. Ang. Politiani.**

Αρχιερός αγαθὸς παῦλος ποτὲ ἦν, ἀλλὰ νῦν φῶς.  
 Νῦν δὲ ἀγαθὸς ξύστος φῶς, νῦν δὲ αὐχιερός.

Id est :

Pontifex bonus Paulus quōdam fuit, sed malus uir.

Nunc autem bonus Xystus uir, malus Pontifex.

Doctori bullato, Cl. Ross.

Doctorem te bulla creat, tibi bulla decori est,  
 Bulla tibi uires, bulla parit titulos.  
 Sed caueas, ne forte nimis te bulla perennet,  
 Bulla homo es, et doctor bulla, quid ergo tumescet?  
 Vsq; adeò te tollis humo, te fastus obumbrat,  
 Ut te, quod non es, turpiter esse putas.  
 Insigne ingenuis fuit olim bulla pueris :  
 Quum non sis, bullam cur capis, ingenuus?  
 Scorteas sume igitur, quadrāt mage scorteas: prolem  
 Libertinorum sic decorato tuam.

Imperitus legum Doctor.

F. And.

Dicturus nullam centeno uerbere legem,  
 Non legū es doctor uane. qd ergo ? dolor.  
 In magistros nostros. V.O.  
 Quamuis sit nostri appellatio uana Magistri,  
 Omni qui uacuum fert ratione caput:  
 Attamen est nostro reuerentia danda Magistro,

c s Et

Et suus est asinis attribendus bonos.  
 Felicem ô, nostrum cui contigit esse Magistrum:  
     Non tribuit cunctis Laida amare Venus.  
 Dulce sonat, Bene ueneritis uenerande Magister  
     Noster, & in primo docte sedete loco.  
 Quod scholæ ab ignauo curantur sœpe Magistro,  
     Hoc est immundos sceptra tenere suos.  
 Magna Magistrorum solet esse superbia nostrum,  
     Laruas bullati qui subiere dei.  
 Scilicet in doctis est gloria danda Magistris,  
     Et sua blasphemio laus tribuenda gregis  
 Iussit Alexander sic declinare Magister:  
     Hoc miserum pueris nomen, inane uiris.  
 Per casus omnes est bestia stulta Magister,  
     Inflat quem nudi larua Magisterij.

In malos sacerdotes, Ian, Anys.

Pro seculi iniqui perditissimos mores  
 Morum magistri cœlibes sacerdotes,  
 Quis templa demandantur, & deum sacra,  
 Cogunt fateri crimina, atq; castigant,  
 Fecisse quæ libentius uelint ipsi.  
 Multant rapinas quam miserrimis poenis,  
 Promiscue ipsi quum profaneq; & sacra  
 Manu rapaci differant, trahant, uexent,  
 Pleni uenenis carcinî graues orbis.

De

## De Cucullatis. St. Dol.

Incuruicericum cucullatorum habet  
 Grex id subinde in ore, Se esse mortuum  
 Mundo:tamen edit eximiè pccus, bbit  
 Non pessimè,sterit sepultum crapula.  
 Operam Veneri dat, & uoluptatum affecla  
 Est omnium.id ne est mortuum esse mundo? Aliter  
 Interpretare: Mortui sunt herculè  
 Mundo cucullati, quod iners terre sint onus,  
 Ad rem utiles nullam, nisi ad scelus & uitium.

## De sacerdoce ebrio.

Io. Stig.

Pontificis quidam non ultimus inter alumnos  
 Mystica deuota dum sacra noce canit,  
 Hesternæ crapulæ faciente grauedine somnum,  
 Sopitus positos labitur ante deos.  
 Excitus à famulo, Prost si uerteris, inquit,  
 Inter coniuas se ratus esse suos.  
 Quis uos Pontifices famulos neget esse deorum?  
 Non alio debet Bæchus honore coli.

## Mundi carcinomata.I. Sap.

Pertulit Augustus tria canceris ulcera Cæsar:  
 Tot uomicas, monachos quot souet, orbis habet,

## In Hypocritam, ad Homerum,

Pictoriij.

Lando, quod assidua sis in prece, tēpla frequentes,

Ocia

Ocia quod fugias, illicitosq; toros:  
 Quod neq; scenus ames, neq; delecteris honore:  
 Non tamen est aurum, quicquid Homere nitet.

De beato Francisco iocus. H. Cort.

Nemo comes quoniam Francisco cœlicus adsit,  
 In primo expectans dicitur esse aditū.  
 Nec penetrabit enim, Petro renuente, quo ad sit  
 Qui Franciscanus se comitem faciat.  
 Ire quidem binos uoluit, qui nunc sine fratre est.  
 Petrus ei: Expectes, dum ueniat socius.

Eiusd. de diplomate Pontificio.

Diplomate pro Pontificio pecuniam  
 Helpinius grandem numerarat. nuncius  
 Sed ubi redit, diploma proferens hero,  
 Numismate nullo ipsi ex via superfluo,  
 Helpinius contractus in mirum modum,  
 Legit, Datum Romæ. legit ter, & quater,  
 Et sic loquitur: Hoc non datum, sed uenditum.  
 Piscatoris ubi sub annulo primum legit,  
 Subiungit inuidem: Facio Deum testem,  
 Piscantibus si cresceret tam splendidum  
 Lucrum omnibus, præsentib. animis suam  
 Cuperet negotiationem quilibet  
 In pisciij mutarier lucrio genus.

Hypocrita. Faust. And.

Ne pura explicitæ credas sub imagine fronti,  
 Raptorem

Raptorem occultat pellis ouina lupum

Idem.

Exteriora gerit qui simplicis ora columbae,

Interiora uastræ pectora uulpis habet.

In Româ, è Græco *σαμίς*.

N. Borb.

Quæq; suos fructus regio mortalibus adfert:

Tot proprias dotes, quot loca mundus habet.

Felix Indus ebur, mollis dat thura Sabæus,

Vellera Ser, præbet nobile Belua merum.

Diues Arabs guttam, et casiam, Chaldaeus amomū;

Aſyrius gemmas, ferreus arma Chalybs.

Sardinia argentum, pecuaria Gallus, & aurum

Lydus, frumentum dat Libes, Argos equos.

Fœcundas Epirus equas, oleum Lacedæmon,

Mel Attis, ficus Massiliensis ager.

Hesperij naues, ostrum Tyros, æra Corinthos,

Vænales uenias Roma, piosq; dolos.

In ignauos Christianos.

N. Borb.

Plinius omne sibi tempus perijisse putabat,

Quod libris aliud non tribuisset agens.

Ille profanus erat: tu Christi seruus haberis,

Cum studium fugitas, nullaq; scripta legiss;

Ludis, & indulges genio. sed labitur ætas,

Sed fugit, atque adeò non reditura, perit.

Relligio Christi sola est sanctissima: sed tu

*Quid*

*Quid dignum tanta religione facis?*

Ceremoniæ. I. Sap.

*Nos non festa dies, preculæ, lex, hostia, cultus,  
Sed potis est Christo iungere solus amor.*

Euangelium. Eiusdem.

*Vir sapiens Euangelio dependet ab uno,  
Hoc solum certā pandit ad astrauiam.*

Indulgentiæ. I. Sap.

*Et pœnam, & culpam, uenialis tessera tollit:  
Debetur Pluto gratia summa deo.*

De Missa. Io. Dep.

*Iam satis est, Missam missam faciamus oportet:  
Ut rem iam ualeat nomen habere suam.*

*Missa quidem toties, sed nondum est facta, uocatur.  
Nil opus est dici, ni quoq; fiat idem.*

Cucullus. I. Sap.

*Conditur ut putridū renitente cädauer in urna,  
Sic tegit ista trucem uestis ouilla lupū.*

In Monachos. M. Borb.

*Innumerī indutis hac tempestate cucullis,  
Se cœlo dignos esse, deosq; putant.*

*Sic miseram falsa uenantur imagine plebem,  
Et sua sub dulci melle uenena tegunt.*

*Sic pia prætextu uirtutis, pectora fallunt,  
Illudunt uulgo, simplicibusq; nocent.*

*Quid*

**Quid monstrosius est monacho, qui præter amictum  
Nil aliud ueræ religionis habet?**

**De impostura apud Muretum fa-  
cta .lo. Vult.**

**Quid modò seclorum miracula ficta priorum**

**Ridemus? risu sunt noua digna magis.**

**Si lapides, aurum, argentum, ferrumq; putarunt**

**Maiores, statuas, lignaq; muta loqui:**

**Mira quidem, uerum ludibria dæmonis, ut nos**

**Arte sua in casses præcipitaret, erant.**

**Artibus ast homines hominum luduntur, & illos**

**Qui imponunt, sanctos plebs putat esse rudis.**

**Mureti unda oleo nuper testatur imago**

**Sacrificum, mixto sanguine, tincta manu.**

**Persuadet populo fictus sudare sacerdos**

**Effigiem Christi: credula turba probat.**

**Et penè est totum res hæc dispersa per orbem,**

**Sic crevit falsa credulitate dolus.**

**Muretum accurrunt cœci, quo cernere possint:**

**Et muti, ut possit libera lingua loqui.**

**Quid? claudi, surdi, sani, morboq; grauati,**

**Depictæ reddunt plurima uota cruci.**

**Ille offert uestes, hic cærea lumina, rarum**

**Hic linum, à ligno quisq; requirit opem.**

**Lintea dat pauper, togulam pro munere seruus.**

**Vnctor proq; olco maxima dona rapit.**

**F**raus abit in uulgu, sceleris traducitur autor,  
Cogitur ille uncta pro cruce ferre crucem.

**H**istoria spectri Spirensis. per  
G.Sabinum.

**V**rbs antiqua iacet celebri contermina Rheno,  
Vangionum longè non ea distat humò.  
**N**escio qui Nemetes hanc incoluisse feruntur,  
Sunt ibi Francorum busta quaterna ducum,  
~~enaga.~~ Cæsareis sedes fuit illa cohortibus olim,  
cohors. Nomen ob id Graium, Spira uocata, tenet.  
Hic humili modicis à stirpe parentibus ortus,  
Exiguæ quidam nauita puppis erat.  
**Q**ui calamo pisces linoq; madente solebat  
Fallere, iam radios sole tegente suos.  
**I**s dum fortè leues hamos ac retia tractat  
Non procul à ripa lubrice Rhene tua,  
Ecce per obscuræ tenebrosa crepuscula noctis,  
Obtulit ignoti se noua forma uiri.  
**A**tro testus erat monachum simulante cucullo,  
Utq; solent, raso uertice tonsus erat.  
**N**auta propinquantcm consueto more salutans,  
Ecquid agis sero tempore noctis? ait.  
**I**lle sub hæc, Adsum longinquis missus ab oris  
Nuncius, ipse tua me rogo lìntre uhas,  
Ut cito transmissò contingam flumine ripam.  
Dixerat, assumptum nauita lìntre tulit.

Iamq;

Iamq; ferè medios cursus nox atra tenebat,  
 Flexaq; tarda pigri plausta Bootis erant.  
 Cum procul in uiridi uenientes margine ripæ,  
 Quinq; cucullatos rursus adesse uidet.  
 Exoptatq; illis pescator, ut antè, salutem,  
 Quoq; uelint media pergere nocte rogat.  
 Ex quibus unus ait: Nos magna pericula cogunt,  
 Obscura tutas carpere nocte vias.  
 Omnibus iniusti sumus, intentatq; nefandam  
 Sacrificis nobis turba profana necem.  
 At te si quis amor tangit, si cura piorum,  
 Transuete nauigio corpora nostra tuo.  
 Ut tumidas lati superemus fluminis undas,  
 Ne ue moraturis impediamur aquis.  
 Sic æterna tuis fortuna laboribus adsit,  
 In tua sic multus retia pescis eat.  
 Annuit, & remo propellens nauita cymbam,  
 Mox iubet adducta scandere pupperatem.  
 Sed mihi quis, dixit, soluet mercede labore me?  
 Alter adhæc, Nullas scis quod habemus opes,  
 Raraq; percipimus discordi munera uulgo:  
 Non tamen ingratis nos habiturus eris,  
 Si nos in solido rursus fortuna locabit,  
 Præmia pro tanto digna labore feres.  
 Soluerat extremo pescator margine nauem,  
 Iamq; ferè medias illa secabat aquas.  
 Sidereas remouent subeuntia nubila stellas,

50

Præcipiti fertur puppis & icta note.  
Incoe pere nigris horrescere fluctibus undæ,  
Sæuaq; tempestas imbribus orta fuit.  
Ipse repantino fassus pallore timorem  
Nauta, Quid hæc, inquit, multa uoua causa malis?  
Nulla tamen pluuiæ uenturæ signa notabam,  
Sol ubi flagrantes æquore mersit equos.  
Nulla lacus usquam circumvolitabat hirundo,  
Villa nec est oculis ardea uisa meis.  
Tum neq; luna nigro surgebat pallida multu,  
Clarus & occiduo lumine Phœbus erat.  
Talia iactanti, distracta uerba procelæ,  
Impediumq; graues ora loquentis aquæ.  
Penè procellosi subuersaq; turbinis ictu  
Nauis, & insanis fluctibus hausta fuit.  
Ardua sublatas tendens ad sidera palmas,  
A' superis orans nauita poscit opem.  
Quid facis? ex monachis ait unus: &, Improbæ, di-  
Desine uoce tua sollicitare deos. (xii,  
Moxq; graui tollens immanem pondere cōtum,  
Nauta parum felix quo prius usus erat.  
Illiūs hoc humeros pulsataq; terga fatigat,  
Cæsus ad extremam dum fuit usq; necem.  
Proditus est tandem peruersi dæmonis astus,  
Detectusq; fuit fraude patente dolus.  
Vana receperunt in inanes corpora uentos,  
Mansit & ingratus nauis relictus odor.

Mox

Mox quoq; purgato fuderunt nubila cœlo,

Et redij t pulsis aura serena notis.

Territus hoc monstro, gelidū sine sanguine corpus

Tollit, & ad ripam nauita puppe reddit.

Istic in uiridi procumbit languidus herba,

Donec ab Eois sol fuit ortus aquis.

Manè, sub Oceanum pulsis Hyperione stellis,

Ducitur à puero prætereunte domum.

Omnia commemorans præsentibus æger amicis,

Clausit adhuc illo fata suprema dic.

Postera cum croceis fulgens aurora quadrigis,

Protulerat roscas ore nitente genas:

Accidit & similis diuerso tempore casus,

Acta sed euentu res meliore fuit.

Summa procul radijs feriente cacumina Phœbo,

Carpebat solus manè uiator iter.

Qui Nemeton postquā digressus finibus esset,

Primus ubi positus distat ab urbe lapis.

Aduentare nigro tectum uelamine currum

Conspicit, hic monachis currus onustus erat.

Ordine quem iuncti septem traxere iugales,

Quarta sed ablato defuit axe rota.

Quicq; manu flexas auriga tenebat habenas,

Terribili naso conspicendus erat.

Attonitu curru stat prætereunte uiator,

Nec monachos illos, spectra sed esse uidet;

Euolat extemplo sublatus ad æthera currus,

Mixtaq; cum fumo flamma sequuta fuit,  
 Tristis & infastum belli mortalibus omen,  
 Horrida per nubes arma dedere sonum.  
 Ille statim rediens, quæ uiderat, indicat urbi.  
 Est ea res certa cognita uera fide.  
 Hæc igitur uobis, aliis quos sustinet orbis,  
 Carminibus duxi significanda meis.  
 Expositurus eram, si res interprete egeret,  
 Spectra quid infesti dæmonis ista uelint.  
 Effera Germanos agitat discordia reges,  
 Proq; cucullatis impia bella parant.  
 Hæc ea tempestas, hic impar ex ordo rotarum.  
 Hæc & cum fumo lucida flamma fuit.  
 Sed Deus est nobis orandus, ut arma quiescant,  
 Ille precaturis mitia fata dabit.  
 De pube habita pro capillis diuæ  
     Catharinæ. Io. Sap.  
 Improba ridiculo genitalem femina barbam  
     Costidos insignes donat habere comas.  
 Credulus hic toto circumfert orbe capillos,  
     Allicitur plebes in noua uota leuis.  
 Conueniunt, orant, & crinibus oscula figunt:  
     Culta fuit Bromij non ita uerpa patris.  
 Efficit (hæc fidei uis est) miracula pubes,  
     O quoties umbram res pietatis habent.  
 Verius in diuis colitur, quod uiuit Olympo:  
     Posthabitæ terra, que sua, reliquijs.

Qui

*Qui uita superos & moribus exprimit, alle  
Ille colit superos, & colitur superis.*

In Franciscanos Aurel. imposto.  
res. Io. Vultej.

*Cum clamat laruas furiosa caterua leonum,*

*Infestare suam nocte dieq; domum,*

*Res uera est: falsi, laruati deniq; fratres,*

*Quos uestis sanctos prodigiosa facit,*

*Sunt lemures, laruae, furiæ, uulpesq; lupiq;*

*Qui infestant uitijs seq; suamq; domum.*

Monachus. I. A. Brass.

*Tegmina nigra gerit monachus, quoq; pectora ni-*

*Discere mors illi est, uita illi est bibere. (graz:*

*Historia de puella quadam Franck-*

*fordiensi. G. Sabinus.*

*Torrida cum rapidis arderet solibus æstas,*

*Flauaq; maturis frugibus arua forent,*

*Virgo sub arborea capiebat fronde quietem,*

*Cessitis in uiridi gramine, propter aquas.*

*Hic ubi uitiferos allabitur Odera colles,*

*Fessaq; dum placido membra sopore leuat.*

*Clara quiescenti uox est audita puellæ:*

*Surge, tibi magna, surge, dabuntur opes.*

*Surgit, & attollens excusso lumina somno,*

*Haud procul insignis conspicit ora uiri.*

*Hic ita: Virgo tuum si me dignaris amantem,*

Diuitijs, dixit, sola fruere meis.  
 Thesaurosq; tibi magnos tellure recludam.  
 Illa sub hæc, Noster quisquis es, inquit, eris.  
 Cumq; fidem uerbis his astrinxisset amanti,  
     Pristina mutatur forma repente uiri.  
 Grandes igne micant oculi, frons torua minatur  
     Cornua, semicaper qualia Faunus habet.  
 Concipit, his uirgo perterrita, mente furorem,  
     Fertur et humanis sensibus orba domum.  
 Nunc ea compedibus duris et uincta cathenis,  
     Se Stygijs gazas promere Ditis ait.  
 Exhibit argentum custodibus, exhibit aurum,  
     Dextera signato nec uacat ære manus.  
 At nisi præripiant aurum, dextramq; prehendant,  
     In sua per buccam uiscera condit opes.  
 Fallor et an, insolito sunt plena quod omnia luxu,  
     Admonet hæc auri prodigiosa famæ?  
 Quodq; Dei spredo, mortalia pectora, uerbo,  
     Sola parandarum cura fatigat opum?  
     De urbe Roma. I. Sap.  
 Cur liceat non in Romam mutare uel ulli,  
     Hanc ego, qui causam noscere, reddo, cupit.  
 Quæq; sui natura tenax se prorogat ipsam,  
     Per non incertis tempora longa notis.  
 Sic uideas seruare lupæ uestigia Romam,  
     Ex patrijs primùm moribus hausta sibi.  
 Quis neget autorem Romæ cum lacte ferina,  
     Sugere

Sugere uim pariter non potuisse seræ:  
 Nam lupus huic uocē, si quē prior occupat, aufert:  
 Hinc omnes mutos prouida Roma facit.  
 Quid tamen hoc unum, quum sint cō munia Roma  
 Cum consanguineis singula quæq; lupise  
 In Episcopū illiteratū. Th. Mori.

Magne pater clamas, Occidit littera: in ore  
 Hoc unum, Occidit littera, semper habes.  
 Cauisti bene tu, ne te ulla occidere posse  
 Littera, non ulla est littera nota tibi.  
 Nec frustra metuis, ne occidat littera: scis non,  
 Viuifacet qui te spiritus, esse tibi.  
 Eiusdem, de quodam male cantante,  
 & bene legente.

Tam male cantasti, possis ut episcopus esse:  
 Tam bene legisti, ut non tamen esse queas.  
 Non satis esse puto, si quis uitabit utrumuisz  
 Sed fieri si uis præsul, utrumq; caue.  
 In funigeros. Io. Vult.

Vos ô funigeri, ordinis beatā  
 Francisci, pietate tam minores,  
 Quām ipso nomine: quod peculiare  
 Vobis dicere non pudet. Beatus  
 Franciscus ( bonitas in orbe cuius  
 Toto cognita ) quæso num docebat,  
 Vos contendere, suscitare rixas;

Facte foedera num improbare pacis?  
 Plebem fallere, prædicare nugas?  
 Mundo imponere, uirginum pudorem?  
 Donis sollicitare mortuorum  
 Persuadere animas suo in sepulchro,  
 Signis se se rebri uidere poenas  
 Testari? puerile num dæcus uos  
 Obscena Venere (ô malum) inquinare?  
 Inter uos facere & pati nefandas?  
 Hoc si tempore suscitetur, Illos,  
 Clamabit, cinericios fugate  
 Ventres, atq; iterum altiore uoce  
 Contendet, Citò pellite ociosam  
 Hanc turbam nebulonum, & hanc malorum?  
 Lernam, me faciunt patrem, meoq;  
 Sese uiuere more iactitant; sed  
 Agnosco hos minimè, uelut puellos  
 Effrontesq;, pigrosq;, garrulosq;.  
 Quos si quis similes mihi esse credat,  
 Is album pariter putet nigrum esse.

Epitaphium cuiusdam pseude-  
piscopi. N. Borb.

Dum mihi commissū populū male' curo, uagari  
 Incustoditum linquo per arua gregem:  
 Dum uentri, Veneriq; Epicuri de grege porcus,  
 Seruio, cor fixit mors inopina mihi.

Nunc

Nunc animam lacerant furiae, uermesq; cadaveris  
Heu fugiunt magnos crimina nulla deos.

De Monacho quodam, Io. Sap.

Vix etate puer, sed totus moribus infans,

Corpore uix aliquid, totus & arte nihil.

Prima nouus Franciscana de gente sacerdos

Sacra Deo turba concelebrante tulit.

Quis habitis, Cereri & Baccho soluitur honores,

Hinc subeunt Paphia mollia gesta deæ.

Ecce (in lente unguentum dixeris) oordo coronis

Femineis, choreas fune recinctus agit.

Vnius hic (ueniam uerbis peto, nec sacra cōstant)

Hæc aliter luxuos turpiter intumuit.

Quoq; tenebatur ruptis tentigine uincis,

Excidit è natibus subligar in medium.

Mox populus rapitur leuia ad spectacula pronus,

Intempstuum risibus ora fluens.

Tum gregis eiusdem longè delumbior alter,

Podicis obscenæ tegmina tollit humo.

Atq; ait, ostensis femoralibus: Ecqua puella

Excusit colli candida lina sui?

Ah quam uix alijs, quæ dicere nolo, resistunt:

Tutior in medijs pascitur agna lupis.

Vt pelagus iuges capit insatiabile riuos,

Sic horum improbitas nescit habere modum.

Hæc uolumus sciri, si quem Deus ille latèret,

Quo caleant homines, hoc agitante genus.

d 2 In Romam.

## In Romam. Conrad. Cels.

O' qualis facies, & que mutatio Roma:  
 Vendidit hæc quondam corpora, nunc animas.  
 Quicquid in extremis habuit Germania terris,  
 Et medijs quicquid continet illa plagis,  
 Exhaustum est, & totum Latias migravit in arces,  
 Expleat ut luxus impia Roma tuos.  
 Dum qui militibus deberent cedere nummi,  
 Et nostro tutas reddere in orbe domos:  
 Hos modò Romanus miles sibi tollit in usus,  
 Ut Veneri & Baccho nocte dieq; uacet.  
 De diuine sacrifico moriente.

Io. Sap.

Nuncius horrendum iamiam properabit ad Orcū,  
 Quo tibi non ullus certior esse potest.  
 Si quid habes scelerum Stygio mandare tyranno,  
 Hoc age rem, fidus crede minister erit.  
 Ast opus est alio, tibi qui mandata reportet:  
 Hic semel hoc mensus, non remeabit iter.

In Sextum IIII. Pont. Max.

Epitaphium.

Sixte iaces tandem, fidei contemptor & æqui:

Pacis ut hostis eras, pace peremptus obis.

Sixte iaces tandem, letatur Roma, tuo que-

Passa sub imperio est funera, bella, famem.

Sixte iaces tandem, nostri discordia secli:

sæuisti

Sæuisti in superos, nunc Acheronta moue.  
 Sixte iaces tandem, fraudisq; doliq; minister,  
     Et sola tanum proditione potens.  
 Sixte iaces tandem, pressa est quo sospite uirtus,  
     Leges, sacra, pium, religioq; fides.  
 Sixte iaces tandem, deflent tua busta cinedi,  
     Scortaq; lenones, alea, uina, Venus.  
 Sixte iaces tandem, summorum infamia sexq;  
     Pontificum tandem perfide Sixte iaces.  
 Sixte iaces tandem, uos hunc lacerate Quirites,  
     Dentur et impasti membra scelestas feris.  
 Quid pia pro functo fuerint solennia Sixto?  
     Tradita sunt celeri uota precesq; noto.  
 Riserat ut uiuens coelestia numina Sixtus,  
     Sic moriens nullos credidit esse deos.  
 Sixte iaces tandem, superis inuisus et imis,  
     Inclusus grauido uentre necandus eras.  
 Stupra, famem, strages, usuras, furtar, rapinas,  
     Et quodecumq; nefas te duce Roma tulit.  
 Magna ( licet tardæ ) soluenda est gratia mortis:  
     Omne scelus tecum Sixte cruentu iacet.  
     De quodam Monacho, E. Ebn.  
 Mentio cum fieret, fortuna ut sepe modestum  
     Efferat, et faciat dissimilem esse sui,  
 Et cedant mores rebus plerunq; secundis,  
     Audiui à doctis hunc ego sepe iocum.  
 Ignotis iuuenem quendam natalibus ortum,

Ut monachis mos est, uota dedisse Deo.  
**H**unc submittentem tristi sua lumina uultu,  
     Non unquam læta fronte fuisse ferunt,  
**E**t quocunq; iret, facie fudisse modesta  
     Sacras fucata relligione preces.  
**C**umq; foret propter iam morum exempla bonorū  
     Abbas electus fratribus ille suis,  
**T**um nimium rebus sublata mente secundis  
     Mutauit mores protinus ille suos,  
**E**t uultu incedens erekto: prodita tandem  
     Nequitia est monachi disimulata pīj.  
**C**umq; rogaretur, quæ mentis caussa nouatæ?  
     Talem commemorant mōx retulisse iocum:  
**F**rons demissa domus curabat querere claves,  
     Lumina cum crebrò fixa teneret humili:  
**A**t cum nunc habeat, se læto incedere uultu,  
     Querere iam portas nil opus esse sibi.

In quendam pseudepisco-  
     pum. N. Borb,

**N**il aliud quidā quam turpeis narrat amores,  
     Ad Venerem natus, molliciemq; senex.  
**C**oncubitus memorat ueteres, & dulcia furtæ:  
     Talibus in rebus Iuppiter (inquit) eram.  
**H**uic etiam quamvis capulari, & eoq; trementi,  
     Quæ curas abigant, sunt duo scorta domi.  
**I**nterea & populum compilat, & urget iniquis  
     Legibus extorquens, & uiolenter agens.  
Possidet

Possidet hic arces, & digna palatia rege,  
 Aurea uasa, canes, accipitres, & equos.  
 Quiq; ita grassatur, se dicit επιστοπον esse,  
 Commissum rabido dum uorat ore gregem.  
 Quando erit, ut nobis tandem, Deus optime, quando  
 Subuenias? fugient, te fugiente, lupi.  
 Respice, ades, miserere ouium, bone Christe, tuarum,  
 Quæ crucis & mortis causa fuere tua.

De Innocentio VIII Pont.

Max. Ac. San.

Innocuo priscos & equum est debere Quirites,  
 Progenie exhaustam restituit patriam.

De monachis Franciscanis.

Io. Stig.

Lignipedes celebrant dum fratres festa Lyæi,  
 Dum certant plenos euacuare cados,  
 Certatim socia dum non sine Laide saltant,  
 Et Veneri laudes ebria turba canunt,  
 Christiparæ solitos suetam cantare salutem  
 Quæ iubet, ad socios euocat hora choros.  
 Incipit ante alios senior, patroq; tenore  
 Lassatae Glaphyre dulcia furtæ canit.  
 Ebrius est alius, titubans pede, corpore languens,  
 Dum populum sacræ flumine lustrat aquæ,  
 In medio officio ructante uomebat ab ore  
 Ceu fluum, hyberna qui nunc plenus eat.

Moria

Morio lustralem cui proximus eripit urnam,  
Et cæcam toto flumine fundit anum.

O' anus, amissa cœlo dignissima culpa,  
Si culpam sacræ copia tollit aquæ.

De Innocentio VIII. Marull.

Octo nocens pueros genuit, totidemq; puellas,  
Hunc meritò poterit dicere Roma patrem.

In falsos fratres. N.Borb.

Ab quam difficile est falsos cognoscere fratres,  
Quos hodie uestis prodigiosa tegit.

Sed miserum vulgus taleis miratur, et esse  
Coelestes animas, semideosq; putat.

Horum si ignores fucum, simulataq; uerba,  
Et uestem uideas, esse putabis oves.

Falleris : intus sunt vulpesq; , lupi q; rapaces,  
Aut si quid peius vulpibus atq; lupis,

Epitaphium Innocentij Octavi.  
Marull.

Spurcites, gula, auaritia, atq; ignavia deses,  
Hoc Octave iacent, quo tegeris, tumulo.

In quandam Monacham iusticia-  
riam. Io. Sap.

Vna puellarum, uitæ quas sanctio muris  
Arcet, ut horribiles ferrea claustra feras,  
Decubuit stratis, auræ correpta ueneno,  
Ac ubi spes reducis nulla salutis erat,

Articu-

*Articulum sibi persuasit prænoscere fati,*

*Acceptum meritis se referente suis.*

*En, ait, en mittet membrorum mole solutam,*

*Hac nocte ad superos me decima hora lares.*

*Stulta sui uates, dicta redeunte ter hora,*

*Vix tandem media mortua luce fuit.*

*Nunc age, qui solos sanctam uos ducere uitam*

*Erratis, propriæ fidite iustitiæ.*

*Nitimini cultu, uictu, prece, uestibus, odis:*

*Vir bonus æthereo pendet ab arbitrio.*

*In sacrificulum, labris, non mente precari  
solitum. N. Borb.*

*Sacrificus modios precularum mille susurrat:*

*Non aliter turpis simia labra mouet.*

*In Monachos. N. Borb.*

*Monachi Græcè uocantur solitarij:*

*At hodie tot Monachi in cœnobij cum simulis*

*Sint ociosi, et ignavi, et pasti bene,*

*Quarum multitudine solitudo dicitur?*

*De metamorphosi monachi & amicæ  
eius. Io. Sap.*

*Prisca tot inuersas mirantur secula formæ,*

*Sed uideo nostris cedere temporibus.*

*Vtar ego breuibus, crassæq; fauore Minerue,*

*Sit licet ampla, bona res quoq; digna cheli.*

*Ausa fuit Venerem fabri se dicere coniunx,*

*Quod*

Quòd foret eximo rarus in ore decor.  
**Hic** pariter non erubuit Vulcanus haberi,  
 Quòd foret in toto corpore nullus bonos.  
**N**on Cytherea tulit mentitos seq; uirumq;  
 Et meritas pœnas sic meditata refert:  
**T**u quoniam te nos fingis, Venus esto:tibiq;  
 Sume animum Veneris, tu quoq; Mulciberi.  
**E**n Mars uester erit, quo dicto, facta sequuta.  
 Mars monachus tantum flagrat Acydalia.  
**D**umq; sui furtim fructu potiuntur amoris,  
 Deprensos stricto Lemnius ense petit.  
**S**ed tamen infandum facinus pia cura deorum  
 Depulit, antiquis auxiliata modis.  
**I**nq; lupam prædæ cupidam mutata puella est:  
 Quam rapuit monachus, factus et ipse lupus.  
**I**t faber in uolucrem, Maij quæ tempore mensis  
 Vniuocos rauco fundit ab ore sonos.  
 In malos Christianos.  
 N. Borb.  
**D**ic mihi, cū tibi sit Christus tam multus in ore:  
 Cur uita Christum, flagitiose, negas?  
 In Monachos. C. Gr.  
**A**s sola monachos uita dixeret priores: (chos.  
 Cum queis scorta habitant, nemo uocet mona-  
 In Alex. VI, Pont. Max.  
 Ac. San.  
**P**iscatorem hominum ne te non Sexte putemus,  
 Piscaris

Piscaris natum retibus ecce tuum.

In eundem. Eiusdem.

Europen Tyrio quondam sedisse iuuenco,

Quis neget? Hispano Iulia uecta boue est.

Ille sed astrigeri partem uix occupat orbis:

Hic cœlum, atq; deos sub ditione tenet.

Vnde igitur, si par meritum, non par quoq; fatum?

Romanam amplexu plus tenuisse fuit.

In eundem. Eiusdem.

Visum se iterum Sextum cum Roma putaret,

Pro Sexto Sextum uidit, & ingemuit.

In suspensorum Papæ ac ludo  
dæ imaginem.

Desine mirari uultu dubitante uiator,

Quid sibi, quam coram cernis, imago uelit.

Sensus inest illi, quem tu cognoscere uelles:

Hunc tamen ut noris, carmina pauca legas.

Quem pendere uides in fragmine clavis, habentem

Infelixum nodo colla premente caput,

Proditor est Domini mundum saluantis Iudas,

Arguit infidum turgida zona uirum.

Qui sua pœponens cœlesti commoda nato,

Sustinuit sacri sanguinis esse reus.

Christus Apostolicas claves commiserat illi,

Et socium turbæ iusserat esse suæ.

Scilicet ut populum cœlestia uerba doceret,

Donaq; presentis spargeret ore Dei.

Ille sed abiecit cum sancto munere claves,  
 Quas tamen audaci fregerat ante manu.  
 Propterea meritò ceu fur nunc pendet ab illis,  
 Immeritas ausus quas uiolare fuit.  
 Nec tulit hanc aliquo damnatus iudice poenam,  
 Nullius interiit carnificisq; manu.  
 Ipse sibi mortem dextra consciuit iniqua,  
 Tam graue mens facti conscientia pondus habet.  
 Ille sed, aduersa qui pendet clave, uiator  
 Forfitan ignarus, qui sit, & unde, rogat?  
 Hoc est Pontificis Romani triste cadauer,  
 Fune gerens iunctas post sua terga manus.  
 Sedulus ille fuit falsi sectator Iudee,  
 Ingenio, uita, moribus, arte, dolo:  
 Quamlibet & Petri sibi tradita munera iactat,  
 Illius officium seq; tenere docet.  
 Si tamen inspicias pro nomine facta, uidebis  
 Illum Petrum mentis habere nihil.  
 Nominibus Petrum, sed resectatur Iudam,  
 Illius & titulum, facta sed huius habet.  
 Si conserre uelis a gestis rebus utrunq;  
 Omnibus inuenies partibus esse pares.  
 Ille datas claves studio confregit auaro,  
 Omnibus hic studijs querit auarus opes.  
 Ille semel Christum scelerato uendidit auro,  
 Hic quoties turpi uendidit ære Deum?  
 Pro precio cœlum populos partitur in omnes,

Grandi-

Grandibus & bullis grandia lucra facit;  
 Præsedit astriferi foribus uice Petrus Olympi,  
 Hec illi magnas ianua reddit opes.  
 Perfidus accepti precij seruator Iudas  
 Turpia furaci sustulit æra manu:  
 Præsul opes mundi studio furatur aperto,  
 Plumbæ nam reddens, aurea dona rapit.  
 Tradidit hic morti simulata per oscula Christum,  
 Hei mihi quot sanctos tradidit ille necis  
 Crumenam collo gestat Scariotus auaro,  
 Pontificem nummis pallia plena tegunt.  
 His adeo similes uirtutibus esse uidentur,  
 Alter ut alterius filius esse queat.  
 Non ita buboni similem se noctua præstat,  
 Non upupam fœdus tam bene reddit epops,  
 Quam bene Pontificis Iudee respondet imago,  
 Si modò conueniens nomen uterq; gerat.  
 Ergo tam similes quia sunt, semperq; fuerunt,  
 Iure pares poenas suppliciumq; ferunt.  
 Iam satis apparent, quali suspendia Præsul  
 Crimine Romanus promeruisse queat.  
 Fregit & abiecit reserantes æthera claves,  
 Ad superos uerum ne sequeremur iter.  
 Scilicet in cœlum ne ianua recta pateret,  
 Comminuit clausæ ferrea signa scræ.  
 Turgida Pontifici placuit crumena potenti,  
 In qua mundanas accumularet opes.

Hanc illi moriens in reste reliquit Iudas,  
 Hæredem loculi iussit & esse sui.  
 Hunc manibus cœpit sterili pro clave gerendum,  
 Ut ilior loculus clauibus esse solet.  
 Aspice crumenam grauidam turgente metallo,  
 Ista decet Latium præmia ferre patrem.  
 Quinetiam paſſim uarios habet illa receptus,  
 Insula quos circum plurima sacra tegit.  
 Crumenæ sacræ uarios notat illa ministros,  
 Talia qui celsa tegmina fronte gerunt.  
 Propterea loculis Romanæ sedis adhærent,  
 Illius iniustas ut tueantur opes.  
 Ausonios magno precio mercantur honores,  
 Hinc uenient summo splendida lucra patri.  
 Cur tamen in summa regales parte coronæ  
 Captiua ueluti conditione iacent?  
 Hi quoq; Roma tui sunt imperiosa ministri,  
 Regia quos mundi sceptræ tenere facis.  
 Hos tua membra soles, natosq; uocare fideles,  
 Omnibus officijs ut tua iussa colant.  
 Te penes imperium terræ, tibi summa potestas,  
 Arbitrio parent subdita regna tuo.  
 Tu quoq; sers gladium, regesq; ducesq; gubernas,  
 Te sine non ulli celsa corona datur.  
 Omnia quem metuunt, metuit tua numina Cæsar,  
 Fert etiam plantis oscula foeda tuis.  
 Cardineo tegitur subiecta corona galero,  
 Namq;

Namq; super reges tu tua membra locas.  
 Nec tantum sacris donantur honoribus illi,  
   Qui sacra Romanæ nomina sedis habent.  
 Subiçis his etiam populos, gladiumq; tenere,  
   Dignaq; principibus nomina ferre iubes.  
 Hinc gerit imperij non unus Episcopus ensem,  
   Quem uerat armatas Christus habere manus.  
 Sic dominæ seruit mundana potentia Romæ,  
   Pontificis summum quod diadema notat.  
 Hæc tua, si nescis, tua sunt insignia Præful,  
   Quæ geris imperio diuinitisq; potens.  
 At lacere claves pedibus tellure premuntur,  
   Fragmina deformi puluere sparsa iacent.  
 Donec ab æthereo descendat culmine iudex,  
   Qui tua non cæco lumine facta uidet.  
 Ille preces tandem iusti miseratus ouilis,  
   Adscribet meritis præmia iusta tuis.  
 Tunc miser adducto pendebis fune ligatus,  
   Qualem te nobis ista tabella referr.  
 Illa tuam uiua tibi pingit imagine poenam,  
   Hic tibi sub Christo iudice finis erit.  
 Picturæ sensum, quam cernis, amice uiator,  
   Versibus his lectis iam, nisi fallor, habes.  
 Nunc superest, facias ut uota, Deumq; preceris,  
   Ut iubeat uerum me cecinisse, Vale.

## In annum Iubileum Alexandri VI.

Pont. Max. Ac. San.

*Pollitus cœlum Romanus, et astra, sacerdos,  
Per scelera, et cædes ad Stygia pandit iter.*

In Lucretiam, de Alessandro VI.

*Ergo te semper cupiet Lucretia Sextus,*

*O' fatum diri nominis: hic pater est?*

*Lucretiæ Alexandri VI. filiæ  
tumulus. Io. Pont.*

*Hoc tumulo dormit Lucretia nomine, sed re  
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.*

In monachos. παππαδά.

*Εἰ μοναχοί, τί τοσούδε; τοσούδε τε πώς πάλι μόνοι  
ωκηληθύς μοναχῶν Ψευσαμούν μονάδα.*

Idem latine. Bergij.

*Si Monachi, cur tanta cohors? cur tot simul estis?*

*Quid mentimini eo nomine uos monaden?*

Idem, Cornarij.

*Si Monachi, uestrum cur tot sunt? plurimi at estis?*

*Cur uos soliuagum nomen habere iuuat?*

Idem, Iamb. dimetro.

*Quid uestro inani nomine,*

*O' Monachi estis tumidi?*

*Cum non genus mortalium?*

*Sit urbibus frequentius*

*Aliud, et obuium magis?*

*Falso ergo solitudinem*

*Cum tanta turba obstrepara*

Mentiti.

Mentiti, inepti, ac monada:  
O' uestro inani nomine.

De Alexandro VI. Pont.

Max. Ac. San.

Bello, inimicitijs, furtisq; & cædibus haustam  
Italiæ cernis Sexte, & obire potes?

De eodem.

Dic in amicitiam coeant, & fædera iungant  
Mortales: dixit Sextus, & occubuit.

Epitaphium eiusdem.

Fortasse nescis, cuius hic tumulus siet:  
Adsta uiator, ni piget.

Titulum quem Alexandri uides, haud illius  
Magni est: sed huius, qui modò

Libidinosa sanguinis captus siti,  
Tot ciuitates inclytas,

Tot regna uertit, tot duces letho dedit,  
Natos ut impleat suos.

Orbem rapinis, ferro & igne funditus  
Vastauit, hausit, eruit.

Humana iura, nec minus coelestia,  
Ipsosq; sustulit deos:

Vt scilicet liceret (heu scelus) patri  
Natæ sinum permangere,

Nec execrandis abstinere nuptijs,  
Timore sublato semel.

Et tamen in urbe Romuli hic uel undecim

Præsidet annis Pontifex.

In nunc, Nerones, uel Caligulas nomina,

Turpeis uel Heliogabalos.

Hoc sat uiator, reliqua non sinit pudor.

Tu suspicare, & ambula.

De eodem;

Mirum, si uomuit nigrum post fata cruentem

Borgia? quem biberat, cōcoquere haud potuit.

De eodem.

Nomen Alexandri ne te fortasse moretur,

Hospes: abi, iacet hic & scelus, & uitium.

In quendam qui cucullum abiecerat.

Steph. Dol.

Quid profuit pullum cucullum ponere,

Cum, que cucullus tum docet, tum adfert suis,

Mentem profanam, callidam, & sensus uafri,

Plenam, scelestam, omniq; consutam dolo,

Tam diligenter, quam antea, serues tibi?

Te spes fecellit primum, & illa opinio,

Quia cum cucullo duplici mores tuos

Posse abijci prorsus putabas duplices.

Ac nos simul pulchre fecellisti, quia

Cum ueste deiectam arbitrabamur luem

Vestis, minusq; cauimus tum à te, prius

A quo cauebamus cucullato plano.

De Alexandro V I. Pont.

Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & iste:

Semper

Semper sub Sextis perdita Roma fuit.

Alexandri VI Epitaphium.

Sæuitiæ, insidiæ, rabies, furor, ira, libido,

Sanguinis & diri spongia, dira sitis,

Sextus Alexander iaceo hic, iam libera gaudo

Roma, tibi quoniam mors mea uita fuit.

De pace post Sexti mortem.

Ac. San.

Dic unde Alecto pax hæc effulgit, & unde

Tam subito reticent prælia? Sextus obit.

In Monachum nequam. Ia. Any.

Amabo bone uir, tuo hoc cucullo, &

Tua ista fatua loquacitate,

Inter Socraticos putasne haberis?

Id id licet ore polliceris

Isto musta acina ebriosiore,

Non te non pudet, explicare Regis

Regum mystica temulente Iacche?

At facis secus improbe, atq; faris.

At R cum reicit disertus iste,

Non graui sine teste prædicator,

Hortis præficere hunc dum potestis

Furum pro aucupio cinædolorum,

Quicunq; estis amore delicato

O ciues medium huic secate uenam,

In testes Samiam expedite testam,

Yt caput Berecynthiam sequatur.

In Lycum monachum. Eiusd.

*Quis locus est reliquus? te eiecit regia cœli,*

*Nec recipit tellus, Oceanus nū pater.*

*Coniurant manes, toto ut pellaris ab Orco;*

*Inuiso rebus te Lyce quid facies?*

De Julio Pont. Max. Ph. Mel.

*Cum contra Gallos bellum papa Iulius esset*

*Gesturus, sicut fama uictuſta docet:*

*Ingentes Martis turmas contraxit, & urbem*

*Egressus, ſeuas edidit ore minas.*

*Iratusq; sacras claves in flumina iecit*

*Tybridis, hic urbi pons ubi iungit aquas.*

*Inde manu ſtrictum uagina diripit ensem,*

*Exclamansq; truci talia uoce refert:*

*Hic gladius Pauli nos nunc defendet ab hoste,*

*Quandoquidem clavis nil iuuat ista Petri.*

De eodem, G. Duch.

*In Gallum, ut fama eſt, bellum gesturus acerbum,*

*Armatam educit Iulius urbe manum :*

*Accinctus gladio, claves in Tybridis amnem*

*Proijcit, & ſeuus talia uerba facit:*

*Quum Petri nihil efficiant ad prælia claves,*

*Auxilio Pauli forſitan ensis erit.*

De eodem, orbem Christianum in arma

concitante. VI. Hut.

*Concitat iratum bellator Iulius orbem,*

*Efferat pacificos induit arma duces.*

Tela

Tela dat Italiae, tibi dat Germania bellum,

Hoc turbante domo prodit libera quies.

Impulit audaces eadem uesania Gallos,

His facibus Venetas ardor adusit opes.

Vltima ab hoc flauos dedit insula mota Britannos,

In commune Scotus contulit arma nefas.

O ubi nunc Turcae, sed inexcusabile bellum

Orbis in exitium commouet unus homo.

Omnibus arma dat unus homo, bellum omnibus u-

Idem publica res efficit ut pereat. (nus:

Vt Christi perimantur oves, turbetur ouile,

Pascat et admissos caula adaperta lupos.

Hæc rabies placido dimouit uincula lano,

Hec furia impleuit omnia cæde noua.

Atq; huic, qualis erat (neque enim bonus) illud ouile

Credidimus, miserum credidimusq; pecus.

Toti quinetiam regem præfecimus orbi,

Nomine pastoris, nomine Pontificis.

Dira uenenato soboles latro prodite partu,

Hic Christum, hac sequeris conditione Petrum?

De gladio Iuli.

Ille sui longo successor in ordine Petri,

More nouo tantas res agit, et studio.

Nam neq; pro populis orat, paciq; relictus,

Quod faceret Petrus, sacra fidemq; docet.

Veru bella mouet, gerit arma, et sanguine gaudet,

Nimirum Paulum pretulit ille Petro,

**Paulus habet gladium, sed non ferit: occidit illo,  
At malus hic multis intulit exitium.**

**De eodem.**

**Huc barbam Pauli, gladium Pauli, omnia Pauli,  
Clauiger ille nihil ad mea uota Petrus.  
Hoc simul edixit, pro Christo accersere mortem  
Vlto credidimus, duraque uelle pati.  
Tum uero occinuit funesto classica cornu,  
Continuo preceps mundus in armaruit.  
Hoc Pauli tibi barba Pater, tibi suaserat ensis?  
Hoc isthac licuit arma tenere modo?  
Quem gladio decet occidere, haud occidere Pauli,  
Aut satis armatum clauibus esse Petri.**

**De Iuli perfidia.**

**Julius, à Phrygio qui legit nomen Iulo,  
Et cui nunc rerum contigit esse caput,  
Discite quos tanto dederit cum nomine mores,  
Quo iure Assaracis adnumeretur auis.  
In dubios casus audum cum Cæsare Gallum  
Abstulit, ablatos deseruitque citio.  
Non seruasse fidem, destructæ infamia Troiæ est,  
A Troia in nostros hoc trahit ille dies.  
Neptuno Phœboque Phryges promissa negarunt,  
Exemplo geminos fallit et ille duces.  
Perfidia bis ueteris ceciderunt Pergama Troiæ:  
At quando, aut quoties perfidus ille cadet?  
Vna luit, decimum dum bellum dicit in annunti,  
Laome-**

Laomedonteam Græcia clade fidem.  
At feret hūc Gallus, feret hūc Germania pugnax,  
Callida disposito pacta ferire dolo?

## Ad principes Christianos.

Sic perijt pudor, & perijt prudentia, Reges?  
Sic iuuat in cladem uos sine mente trahi?  
Atq; ipsos suasore iuuat uos perdere Iulo?  
Vecordes monitis in scelera huius agi?  
Et cum nondū Asie bellum, Aegyptusq; negarint,  
Intestina domi conserere arma iuuat?  
Aut quasi pauca fero ueniant hæc cōmoda Turcæ,  
Sic propriæ uisum est cladis amore trahi?  
Inq; uicem uos ciuili consumere bello,  
Vt super exhaustos uiribus ille ruat?  
Ah pudeat Liguremq; sequi, dum suadet, Iulum,  
Et tandem placeat consulere in medium.

## De Iulijs instituto.

Iulus assumptis Petreum clauibus ante  
Cœperat ire gregem,  
Continuò lupus acer oues inuasit, & atrox  
Miscuit exitium.  
Ille datis Petri diffusus clauibus, actas  
Liquit inermis oues.  
Nec moxa Paule, tuum quo se tueatur ad ensem,  
Non propria arma ruit.  
Ecce autem in insuet o contra sua castra paratu,  
Dum uidet ire lupus,

Indocilum

*Indoctum gladij, quæ non bene cœperat, egit  
Deserere arma ducem.*

*Contemptas recipit Petrus sua munera claves,  
Qui ferat alter erit.*

*Nescius at Paulus, ne quis sua conserat arma,  
Priuat et ense virum.*

*Quas nunc ducet oves, quæ nunc in pascua, mācus  
Clauibus et gladio?*

### De Julio.

*Pertesum est Petri, nunc Iulius esse laborat,  
Martia contemptis clauibus arma gerit.*

*πολλὰς δὲ ἵψινες φυχὰς οἴδει τροπαῖς,*

*Hanc summam laudis prædicat ille suæ.*

### De eodem allusio.

*Iulius est Romæ, quis abest? date numina Brutum.  
Nam quoties Romæ est Iulius, illa perit.*

### Descriptio Iulij.

*Qui calybe et duris amicitur Iulius armis,  
Terribilis barba, terribilisq; coma,  
Cui toruos horrore oculos frons occulit atrox,  
Tartare et igne cunct cuius in ore minæ.*

*Ille inquam gladijs, atque occidente sagitta  
Et terra populis, et metuendus aquis:*

*Qui trucibus reges terrarum innexuit armis:  
Qui teturum excito seuit in orbe malum:*

*Ille tot exitiorum, et tanti criminis autor,*

*Quo se cum populis imminuere duces,*

*Quiq;*

*Quiq; manu, quiq; ingenio dira omnia patrat,*

*Natus in humanum pestis acerba genus.*

*Cuius opus mors est, turpisimus otia luxus,*

*Qui pacem cunctis abstulit, arma dedit:*

*Ille inquam talis cum uita & moribus extet,*

*Dissimilis Christo, dissimilisq; Petro,*

*Quid facit, aut quid habet, quod tādē dicere possis*

*Dignum Romani nomine pontificis?*

*De indulgentijs Iuli.*

*Fraude capit totum mercator Iulius orbem,*

*Vendit enim cœlos, non habet ipse tamen.*

*Vende mihi quod habes: nā qui pudor, ut mihi uen-*

*Ipsum te Iuli cuius egere uides? (das,*

*Quin fera centimanos emittat terra Gigantes,*

*Iulius expulso uendat ut astra Ioue.*

*Donec enim cœlos alius regit, & tonat inde,*

*Non ego tam magni muneric emperor ero.*

*De eisdem.*

*Nunc ego terq; quater uenturæ gaudia uitæ,*

*Et quedam, quæ sum uix habiturus, emi:*

*Accepi toties tabulas, impressaq; ceræ*

*Nomina, sed tantum nomina cum tabulis.*

*Illud & hoc temerè. neq; enim sperare quis ausit,*

*Empturum se, quæ uendere nemo uelit.*

*Aut si forte uelit, quæ nemo uendere possit:*

*Cum cœlum solus, qui bene uiuit, emat.*

*Iam uero ut risu hoc dignum (tāquam esse beatum*

*Testi-*

Testibus hic egeat signa peti et tabulas.  
In Iulium.

Omnia turbantur, retrò omnia uersa uidentur,  
Qui bene non uiuat posse beare alios?  
Cum multos ferroq; neces, atroq; ueneno,  
Cum scelere occiderint millia multa tuo:  
Cum tibi funesti sint sola negotia belli,  
Ocia monstroſæ conscientia luxuriæ.  
Cum dicas faciasq; nihil, nisi turpe malumq;  
Interea cœlum expendis Iule tamen?  
Idq; aliquis credat, cui mens in corpore sano  
Sana sit, et Christum qui putet esse Deum?  
De eodem:

Huc scelerū auctorē tantorū, hunc fraudis amicum,  
Cui requies bellum, pax odiosa fuit,  
Omne libidinis genus usq; ad monstra notatum,  
Quo dare quid peius dij tibi terra queam?  
Non tantum esse malum permisimus, esse beatum  
Credidimus, mundi pertulimusq; caput.  
Exhaustas igitur diuino lumine mentes,  
O', et in errorum rusticitate uagas.

Ad Iulium.

Dic mihi sancte pater, cœlestis ianitor aulæ,  
Cui geritur summae religionis apex:  
Qui reges regis, atq; locas relocasq; tyrannos,  
Qui nutu soluis cuncta ligasq; tuo:  
Qui sanctos facis, et cui contigit esse beato

Ante

Ante obitum, qui nos ante obitumq; beas.  
 Quid tibi bōbardiis opus est? quid equisq; uirisq;?  
 Quo eq; armata præit, quo sequiturq; manus?  
 Hastarumq; ista segete, atq; horrentibus armis?  
 Quid cinctura opus est hac gladijsq; tibi?  
 Omnia quid trahis hæc? aut cur sanctissime tanto  
     Belli opere expugnas oppida, castra, domus?  
 Nonne manu poteras, tremulo simul ore, leuata  
     Hos dare dijs subito manibus, hosq; deo?  
 Certè omnes Petri similes, aliter ue probatis  
     Moribus, hæc possunt omnia Pontifices.  
 Quid dicā? an quoniā malus es, diffisus et armis?  
     Pontificum, et præceps Martis in arma ruis?  
 O in te erratum mundum, qui, cum ista facessis,  
     Non uidet à Petri te procul esse uia.  
 De statu Romano, Eiusdem VL. Huc  
     teni ad Crotum Rubianum Epi-  
         grammata, ex urbe missa.  
 Vidimus Ausoniae semicruta mœnia Romæ,  
     Hic ubi cum sacrī uenditūr ipse Deus,  
 Ingentem Crote Pontificem, sacrumq; senatum,  
     Et longo proceres ordine Cardineos.  
 Tot scribas, nulgusq; hominum nihil utile rebus,  
     Quos uaga contexto purpura uestit equo.  
 Tot Crote qui faciunt, tot qui patiuntur et illos,  
     Orgia qui uiuunt, cum simulent Curios.  
 Rursum illos qui nec simulat bona, nec bene uiuunt,

Qui rident mores, exhibantq; bonos.  
 Quos iuuat esse malos, quib. & licet, in iuga quoru  
     Consensit miseris Teutona terra modis.  
 Qui dant, quiq; uerāt, qui quos clausere recludūt,  
     Arbitrio cœlos distribuuntq; suo.  
 Romanas, neq; enim Romanos, omnia luxu,  
     Omniaq; obsecenis plena libidinibus:  
 Atq; hæc post Curios, Pompeios atq; Metellos,  
     O' mores, atq; ô tempora, Roma tulit.  
 Desine uelle sacram in primis Crote uisere Romæ:  
     Romanum inuenies hic, ubi Roma, nihil.

De eodem.

Vendit Roma Deum, uendit sacra, uēdit honores:  
     Ipsaq; quod mirum est dicere, Roma uenit.  
 Vsque adeò nihil est, quod non ibi comparet aurum,  
     Scilicet ut si at aurea Roma iterum.

De Romanis, ut nunc.

Dicunt sancta patres, operantur pessima Romæ,  
     Quidam etiam dicunt nec bene, nec faciunt.  
 Religio tamen & Christus iactantur ab illis,  
     Tollitur, & passim prostat imago crucis.  
 Et piscatoris gliscunt patrimonia Petri,  
     Vibrantur magni fulmina pontificis.  
 Vestit summa pedes à uertice purpura longum  
     Ponè sequens, dicas uiuere simpliciter.  
 At nisi me fallat, sed nunquam adeò omnia fallunt,  
     Ista ouium miros uestit imago lupos.

O minia

Omnia Romæ pecunia redimî.

Ite uiri, conferte manus, & uiuite rapto,

Cædite, de sacro uellite, obite nefas.

Ite profana sacris miscete, assuescite luxu,

Omne uoluptatum per genus ite uiri.

Dicite, & ex ipso facite omnia pessima dicto,

Scilicet & nulos esse putate deos.

Vidimus hæc Romæ fieri (quid sanctius illa?)

Et tamen ad cœlos non minus esse uiam.

Aurum quisq; ferat Romam, uirtutis abundè est;

Summa, surit Romæ, qui bona nescit emi.

Quinetiam ut facias, emis auro turpia Romæ,

Quæ cum ita sint, dico quod prius, este mali.

### De statu Romano.

Liquit Auentinas arces, Tarpeiaq; saxa,

Et debellata cætera in urbe Petrus.

Proq; Petro subit ille Simon, regnatq; per aras,

Et debellata regnat in urbe Simon.

Nescio quò captiuu ratis, Ecclesia quò se

Proripuit, Romæ est tale uidere nihil.

Vendit sacra Simon, uenditq; prophana perinde,

Atq; ita me Christus, omnia uendit, amet.

Non tutum est emere ista tamen: licet emeris auro,

Redditur à plumbi stemmate bulla grauis.

O' bullas, atq; ô Romam, regemq; Simonem:

Sacra emere, & Romæ uendere sacra licet?

De eodem, ad Germanos.

Quis modus ô ciues? quò se hæc patientia tandem

Proferit, hæc Romæ quærimus, atq; emimus?  
 Sic nos bullæ capit? sic se Germania nescit,  
 Ut petat hæc? sic nos ista sigilla iuuant?  
 Xeþoꝝ xælneiwp, et adhuc mutatio peior,  
 Tantum auri, ut redeant plumbea signa, dari.

De eodem statu Rom. Ad eosdem.

Cæca magis cuiquam mens est, magis indiga lucis,  
 Quam coelum Romæ qui sibi credit emi?  
 Aut qui quantū auri est, quenquā putat esse beatū?  
 Quando illic auro uita beata uenit.  
 Qui Stygias contemnit aquas, neq; triste ueretur  
 Supplicium, Romæ cœlica fretus emi?  
 Aut non ipse Petrus summa excandescat ab ira,  
 Eſe aliquem, coelum qui locet, ipse malus?  
 Proinde nefas ciues fugite, atq; inquirite rectum,  
 Hac uobis coelum merce licebit emi.

De quodam mortuo Episcopo,  
 ad Germanos.

Occidit antistes, petite altera pallia ciues,  
 Quæ dabit acceptio Romulus ære Simon.  
 At tu, donec habet cerebrum Germania nullum,  
 Et nulos oculos, pallia uen de Simon.

In tempora Iulij. Satyra.

Hoc mens illa hominum, partem sortita deorum.  
 Et pars ipsa dei, patitur scerrore teneri?  
 Haꝝ ruit in tenebras? adeo sine lumine fertur?  
 Ut scelere iste latro pollutus Iulius omni,

Cui

Cui uelit occludat cœlum, rursusq; recludat  
 Cui uelit, & possit momento quemq; beatum  
 Efficere: aut contrà, quantū quis cung; bene egit,  
 Et uixit bene, si lubeat, detrudere possit?  
 Ad Stygias poenas, & Auerni tartara Ditis:  
 Et quod non habet ipse, alijs diuendere cœlum:  
 Vsque adeò errori diuina obnoxia mens est:  
 Ut pescatorem posse omnia uertere Iulum  
 Credat: & inuito cœlos expendere Christo:  
 Et nunc ille uagum spargit promissa per orbem:  
 Qui cœdē & furias, scelerataq; castra sequantur,  
 Se duce, ut his cœlū pateat. Qua fraude tot urbes,  
 Et tot perdidit ille duces, tot millia morti  
 Tradidit, & pulsa induxit bella acria pace,  
 Tranquillumq; diu discordibus induit armis,  
 Et scelere impleuit mundum, fasq; omne nefasq;  
 Miscuit. inq; isto caneret cum clausa motu,  
 Naufragia direpti finxit patrimonia Petri,  
 Vindice se bello asserere, atq; ulciscier armis.  
 Quoq; minus sibi uerba dari quis sentiat, implet  
 Maiestate nefas, & stipatoribus illis  
 Grande facit nomen: iamq; est Ecclesia Christi  
 Latronum illa manus. O seclum, o pectora cœcis  
 Nubibus, & miserando à se immutata stupore,  
 Lucem ipsam & nudum non agnoscens uerum,  
 Obductum nebulis uanum admirantia fucum.  
 Non hominem penes est, cœlestis expendere donū,

Nedum hoc ille latro sceleratum uendat in usum.  
 Tum quantū à Christo est alienū, hoc pacis alūno  
 Sanguine commaculare manus? & cæde nefanda  
 Perfurere? illa tamen diuinæ habitatio pacis,  
 Qua sorte hæredes Ecclesia uenit ad istos?  
 Præterea, qui recta sequi, iustumq; tueri  
 Ulterius factum ducet, si præmia uitæ  
 Ille serat morum parte inquinatus ab omnię  
 Ille serat non uir, qui que patiturq; facitq;  
 Si tribuas aurum, faciasq; ipse, & patiaris,  
 Condonat, labemq; adimit, purumq; reducit?  
 Siccine res superum est humano obnoxia ludo?  
 Quin animum capimus ciues, ad nosq; redimus,  
 Et reclè atq; piè uiuentes, summa putamus  
 Regna deūm nobis cessura, ipsosq; beatos  
 Et sanctos fieri, quos non sanctissimus ille,  
 Verum opera ipsa beat, eadēq; superna recludit,  
 Haud claves, nullum quas hic ueterator in usum  
 Ostendit populo, iactatq; in simplice turba.

In Romam. C. Gr.

Pōm̄ potentia, robur, atq; sanitas,

Sermone Latio dicitur.

Et Roma ciuitate donatum Ausonia

Græcum illud eximit Pōm̄.

A hodie Roma hæc sana, robusta, potensq;

Non cernitur oculis, neq;

Mortalibus pedibus aditur cuiquam:

Nomen

Nomen manet, at urbs nulla est.

De Germano quodam.  
Eiusdem.

Venit in Italiam spectabilis indeole rara  
Germanus, rediit de pueru mulier.

In Iulium Pont. Max.  
C. Gr.

Genuit cui patrem, genitricem Græcia, partum  
Pontus & unda dedit, hic bonus esse potest?  
Fallaces Ligures, mendax est Græcia, Ponto  
Nulla fides: in te hæc singula Iule tenes.

Epitaph. Eiusdem.

Iulius hic furit: effugias, si uiuere cordi est,  
Ne moueat stami bella cruenta prope.

In eundem.

Obtulerat Iuli tibi que fors Julia claves:  
Clavas, errauit, credo daturafuit.

Epitaph. aliud. Eiusdem.

Hunc ego Mausoleum moderor uis Julia cippum:  
Erras, sum Cæsar, si minor ille tibi.

De quodam Monacho.

Io. Stig.

Per lunam Monachus gradu citato,  
Spe furens audie nimis palastræ,  
Sub sparsa meretriculam cuculla  
Gestabat, tacuum petens cubile.  
Cui quidam emeritus senexq; frater,

Et diuæ ueteranus impudicæ,  
 Fit casu obuius, ac propensa crura  
 Et mœchæ niueos pedes latentis  
 Agnoscens: Quid amice frater, inquit,  
 Aut quò sic properas: quid autem amabò  
 Sudans sub tremula geris cuculla?  
 Mox ille, eſſe ſui iugum caballi,  
 Et ſe cras aliquò parare abire.  
 At ridet ſenior dolum, at facetè,  
 Mox ephippion hoc reconde, dixit.  
 Si fratres etenim tui uidebunt,  
 Omnes hoc equitare concupiſcent.

Pasquillus de Leone X.

Pastor ut ambiguo Proteus dignocitur ore,  
 Et dubius liquidis ſæpe uagatur aquis:  
 Sic Leo nulla fides tibi, nec constantia rebus,  
 Factaq; promiſſis ſunt odioſa tuis.  
 Nec bona, nec mala ſunt dubio credenda Leoni,  
 Eſt etiam in uerum ut uix adhibenda fides.  
 Quum uentrem imprudens auido natura leoni  
 Feciffet, rimas præbuit huic geminas.  
 Non excrementis fuerat ſatis una, ſed harum  
 Altera nunc clauſa, nec minus illa uorat.  
 Gaude Roma, breui hac ſolueris peste, fathifcet  
 Alius, tam magni ponderis impatiens.  
 Differat à decimo quam Iulius ipſe Leone,  
 Discere ab amborum nomine Roma potest.

Iulius

**I**ulius est hominis, bruti leo. **I**ulius egie  
Que suasit ratio: quod libet, iste facit.

In Gordigeros. I. V.

Belli cordigeri patres, cibus queis  
Nil soluentibus apparatur, estis  
O' uos semidei, o' quater beati.  
Vellem uiuere sic mihi darent dij,  
Vt uos sollicitudines fugarem.  
Nam pecunia denegata uoto,  
Soluit uos quoq; lege, ut hospiti nil  
Pro expensis numerare sit necesse.

In Leonem X. C. Gr.

Raptorem si quis forsitan mirare Leonem,  
Ignoras uncis unguibus esse feram?

In eundem.

Clauiger Alcides, Leo clauiger: ille uocatus,  
Dicitur hic. nomen nobil: utriq; foret,  
Si clauam potius Leo Florentine tulisses,  
Alcides clauem si potior gereret.

In eundem.

Cur male consultum misero sit, quæreris, ouili?  
Quod leo quadrupedi haud imperat, ast homini.

In Europæ à Monachis subactæ  
picturam. Er. Rot.

Juppiter Europam, uera est si fabula, tauri  
Lusit mentita callidus effigie.

Quam monachi falsa sub imagine simplicis agnt,

f s Prò

Prò pudor, hæc non est fabula, nunc subigunt.

Ad eandem.

*Spurca sacerdotum meretrix Europa puella,*

*Inclita quæ fueras unius ante Iouis.*

*Dic precor, effigies ubi prisca: ubi candida uestis?*

*Cur luxata modò, cur ita senta iaces?*

Europa respondet.

*Non' ne uides? qui me grex stipat, hic oris honorē*

*Abstulit, & dotes quas Deus antè dedit.*

*Felices Asiae terras, Libyesq; procorum*

*Turba quibus non tam flagitiosa nocet.*

In Leonem x. Ac. San.

*Sumere maternis titulos cum posset ab ursis*

*Cæculus hic noster, maluit esse Leo.*

*Quid tibi cum magno commune est talpa leone?*

*Non cadit in turpes nobilis ira feras.*

*Ipse licet cupias animos simularē leonis:*

*Non lupus hoc genitor, non sinit ursa parens.*

*Ergo aliud tibi prorsus habēdū est Cæcule nomē:*

*Nam cuncta ut possis, non potes esse leo.*

In eundem.

*Sacra sub extrema, si forte requiritis, hora*

*Cur Leo non potuit sumere: Vendiderat.*

In eiusdem obitum, de mortis

necessitate. H.B.

*Nempe quis expendit iam mente nouissima secum?*

*Apprimè cunctis quæ meditanda forent;*

Imò

Imò qui uitam non addixere pudendis,  
 Aut saltem uanis rebus ubiq; suam,  
 Nil prospectantes finem, mortalia tantum  
 Mirantes, ueri deuia turba scopi.  
 Pars quota suspicimus cœlum, patriamq; beatum  
 Aethera, non dubia credimus esse fide?  
 Quid non fermè omnes inde ad terrena uoluti,  
 Nil nisi terrenum scimus amare bonum?  
 Proq; oculo innocuae cernentis recta columbae,  
 Et pennis, sancti quas petiere sibi,  
 Sumpsimus accipitris uisum, miluiq; rapacis,  
 Ad prædam celereis, sauitiamq; pedes?  
 Nemo non aliquo pellaci errore tenetur,  
 Propterea finis immemor ipse sui.  
 Consulis hic fasces sectatur, eburq; curule,  
 Hic prætor, seu dux agminis ire cupit.  
 Alca huic fallax, huic pocula grata Lyæi  
 Furantur blanda, non redditura, mora.  
 Hic sibi sublimes molitur marmore sedes,  
 Sub ioue uenator prodigit ille dies.  
 Iste Cupidineis deuouit pectora flammis,  
 Flagitioq; uidens (turpe) sciensq; perit.  
 Eligit hic peregrè longinquas uisere terras:  
 Aßidet hic chartis, immoriturq; suis.  
 Scilicet ut fiat populo monstrabilis, æui &  
 Dicatur phœnix unicus esse sui.  
 At maior numerus curis insanit habendi,

Huius propositi maxima turba sumus.  
**Nec** pudet hic astu fuso ue imponere fratri,  
     Hoc si crudelitas simplicitasq; sinat.  
**Aut** si uulpis agit nihil hic sutela, Leonis  
     Grassari fremitu, uimq; adhibere dolo.  
**Quid** iuuat ah fragili solidum postponere uotum?  
     O factos limo, compositosq; luto.  
**Quid** prodest furijs bellorum, et cladibus orbem  
     Miscere, atque omnem spargere cæde locum?  
**Quid** quæfisse iuuat rapto, quid fraude, dolis ue?  
     Non hæsura tibi, nec retinenda diu?  
**Quid** Parthos auro locupletes, uellere Seres,  
     Thure Arabes, conchis æquora rubra suis,  
**Dente** Indo\$ niueo, Phœnices murice et ostro,  
     Crystallo Scythicum nobilitante gelu.  
**Herculeasq;** petis uicino Atlante columnas,  
     Per dubias terra mille mariq; vias?  
**Quid** penetras, tanquam lucem pertesus, et astra,  
     Non expectato funere uiuus humum?  
**Ah** miser, effoso redeas ut fordidus auro,  
     Ora uel argento pallidiora geras,  
**Deniq;** mortalis quid cuncta elementa lacefisis,  
     Vermis, ob incertas irrequietus opes?  
**Propter** eas nulli cum mors æquissima parcat,  
     Quamuis sit Phrygio ditior ille Mida.  
**Et** Croeso, quondam rutilo cui ripa metallo  
     Paetoli, fuluis arsit et Hermus aquis.

Ditior

Dicitur & Crasso, Pompeio maior, & ipso  
 Cæsare, qui Romam tres tenuere duces.  
 Omnem sub cœlo carnem fœnum esse memento:  
 Quia in quævis citius defluit herba cadis.  
 Mox oreris, mox contereris, uelut umbra citata  
 Hoc breue ueruit deuolat omne tuæ.  
 Et tu promittis tibi tempora longa fruendi,  
 Partis, heu bullæ fidere quæso caue.  
 Hæc miseranda tuæ tangat te sortis imago,  
 Infere & hanc animo gens moritura tuo.  
 Tam celebris nemo, tam felix nemo, potensq; est,  
 Talis erit, & uix quām putat ipse breui.  
 Non quorum pedibus proni dant oscula reges,  
 Et triplici sacrum fulget honore caput,  
 Maiestas tuta est: sed ut imi fabula fiunt  
 Plebeij, & mœsti cana fauilla rogi.  
 Nec morbo id tantum fracti, senio ue caduci,  
 Ultima cum seßis funeris hora uenit.  
 Sed ui terrentes, pariter torrentur & ipsi,  
 Et cædis, pereunt uix sine cæde, rei.  
 Nondum matura corpus soluente senecta,  
 Sed Nemesis ultorem præcipitante diem.  
 Ergo pacificus ui temperet (hortor) & armis,  
 Quisquis amat Christi iussa, uicesq; gerit.  
 Monachus. C.Gr.  
 Omne genus sceleris, tum pestem totius orbis,  
 Vno signari nomine uis: Monachus.

Eius-

Eiusdem, in Caietanum.

*Germanos, decimas tunc cum extorquere pardet;*  
*Qualem oratorem iussit adire Leo?*  
*Dimit quendam, labor esset dicere qualem:*  
*Nimirum uerbo est dicere sat, Monachum.*

In Romam. Bap. Mantuani.

*Si quid Roma dabit, nugas dabit: accipit aurum,*  
*Verba dat. heu Romæ nunc sola pecunia regnat.*

De monachis. Ang. Politiani.

*Sed qui nos damnant, histriones sunt maximi.*  
*Nam Curios simulant, uitunt bacchanalia.*  
*Hi sunt præcipue quidam clamosi, leues,*  
*Cucullati, lignipenes, cincti funibus,*  
*Superciliosum, incuruiceruicum pecus.*  
*Qui quod ab alijs habitu & cultu dissentunt,*  
*Tristesq; uultu uendum sanctimonias,*  
*Censuram sibi quandam & tyrannidem occupant,*  
*Pavidamq; plebem territant minacijs.*

Roma uenalis. Pictoriij.

*Hactenus urbs magni nequijt reperire Quirini*  
*Emptorem, precij summa ita grandis erat.*  
*Nunc adeò uili proponitur, ut sonus ipse*  
*Hanc, nedum numerus tantulus æris emat.*

Romæ luxus. L. Bigi.

*Quò uentum est superi? quò uis progressa Diones?*  
*Quò*

Quò guia? quò luxus? quò genus omne mali?  
**Ambrosiæ** fœtent epulæ, mareotica fordan  
 Vina, n̄ si Iliacus porrigit illa puer.  
**Cætera** mens horret meminisse: ea discat ab uno  
 Crimine, me quisquis legerit, atque gemat.

In Adrianum Pont. Max.

Ac. San.

**Classe**, uirisq; potēs, domitoq; oriente superbus,  
 Barbarus in Latias dux quatit arma domos.  
**In** Vaticano noster latet. hunc tamen alto  
 Christe uides cœlo (prò dolor) & pateris?  
 Epitaphium, quod in sepulchro Cle-  
 mentis VII. Pontificis appensum  
 inuentum est.

Clementem eripuit nobis clementia fati,  
 Humanum toto gaudeat orbe genus.  
**Hic** est, qui fuerat iam dedecus urbis & orbis.  
 Et fuit ætatis magna ruina suæ.  
**Hic** est, qui tantos mutato fœdere reges  
 Prodidit, & nullam nouit habere fidem.  
**Hic** est, qui grauibus uexauit regna tributis,  
 Atq; Italum totas hausit auarus opes.  
**Hic** est, qui patriam bellis oppresſit acerbis,  
 Turbauit proprios seditione lares.  
**Hic** uoluit rapidis sua mœnia perdere flammis,  
 Et plus quam humana strage repleuit humum.  
**Hic** est, qui multas uiduauit ciuibus urbes,

Crude-

Crudeliq; suas imbuit ense manus.  
**Hic est, qui bellis Insubria diruit arua,**  
     Ex torrem Urbini compulit ire ducent.  
**Hic est, si nescis, qui iam tibi Roma paravit**  
     Excidium, pestem, funera, bella, famem.  
**Hic est, per quem tot prostant et in urbe pueræ,**  
     Per quem pulsus honos, uirgineumq; decus.  
**Hic est, qui molles euexit ad astra cinædos,**  
     Formosum à tergo munere iuuit Hylam.  
**Hic est, qui fuerat uiuens infamia mundi,**  
     Imperij labes, spurcitesq; sui.  
**Contemptor diuîm, scelerum uir, publicus hostis,**  
     Perfidus, ingratus, raptor, iniquus, atrox.  
**Nutriuit longi discordia semina belli,**  
     Mouit pacatos semper ad arma duces.  
**Hoc uiuente fuit nullarum copia rerum,**  
     Tabuerant sterili pallida membra fame.  
**Curauitq; nihil misere iejunia Romæ,**  
     Ut fruges magno uenderet ære suas.  
**Infelix, totum quod non extinguere mundum,**  
     Nec potuit sanctis bella mouere deis.  
**Exosus uitam, et morbo tenuatus amaro,**  
     Stabat Pæonia non reuocandus ope.  
**Mortem implorabat, nec mortem fatâ sinebant.**  
     Gaudebant longa sed cruciare mora.  
**Hic uidit mortis centum tormenta futuræ,**  
     Poena tamen mortis non fuit æqua suæ.

Ex ista

Exista tandem migravit luce tyrannus,

Quo nullus toto peior in orbe fuit.

En date uulturibus ciues tam putre cadauer,

Nulla has reliquias hospita terra tegat.

Illuxit tandem cœlo lux una sereno,

Et uenit populis sœpe uocata dies.

Ducite felices per compita, ducite ludos

Aeneadæ, & lœtis soluite corda iocis.

Hanc lucem moneo uestris inducite fastis,

Longa hanc posteritas relligione colat.

Sicut magnanimo pulsos à Consule reges

Legimus, & nostro tempore durat honos.

Et tu sublatum è terris lœtare Neronem,

Pristina libertas redditâ Roma tibi est.

### De eodem Clemente.

Io. Vulteij.

De Clemente, quod est cōscriptum carmine criminē,

Id uerum, aut falsum protinus esse scio.

Si uerum est, uerè iam possum dicere, mundi

Vrna breuis uitium claudit, & omne scelus.

Si falsum est, uerè iam possum scribere, mundi

Dux, pax, lux, paruo contegitur tumulo.

At falsum esse reor. Quis enim committere summū

Pontificem Romæ talia monstra putet?

De Missa apud quosdam in Germania,  
per Euangelium iam è me-  
dio sublata. Jo. S.

Missa, malum, peius quo secula nulla tulerunt,  
Istud propudium, dedecus, exitium,  
Fel, odium, sacrilegium, monstrum, scelus, ulcus,  
Prostibulum, virus, excidium, barathrum,  
Spectrum, flagitium, tormentum, nausea, labes,  
Quisquiliæ, tenebræ, carnificina, metus,  
Naufragium, latrocinium, uis, præda, tyrannis,  
Clades, pœna, dolor, mors, furor, horror, onus.  
Nequitia, insidiæ, impostura, infamia, terror,  
Illuuiæ, sanies, merda, cloaca, putor,  
Larua, supersticio, impietas, iniuria, nullo  
Missa inquam inuiso nomine nota satis,  
Nec cruce, nec ferro, nec peste, nec igne, nec unda,  
Sed sola Christi uoce perempta iacet.  
Quæ uisa est orbis secum tractura ruinam,  
Si rueret, ueluti fumus inanis abit.  
Nullus bonos, nulle exequiae, nullumq; sepulchrū:  
Nam superest eius nil nisi nomen iners.  
Aurea iam redeunt ueteris primordia mundi:  
Nam capite extincto, crimina cuncta ruunt.  
Quisquis amas uerumq; Deum, ueramq; salutem,  
Viue, uale, ride, plaudetq;: Misæ fuit.

De Romæ petulantia.

Theod. Gresm.

Marti olim complexa Venus, poscebat amantem  
Munus,

Munus, quo nullum maius in orbe foret.  
 Ille Stygem iurat, danti quodcumq; daturum,  
 Et Romanam tota cum ditione dedit.  
 Martia Roma prius fierat, Cythereia nunc est:  
 Cesserunt aquilæ, signaq; passer habet.  
 Roma caput scelerum, niae iactura pudoris,  
 Exitium fidei, luxuriæq; parens.  
 Sola Venus dispensat opes, dispensat honores,  
 Sola facit serua quicquid in urbe libet.  
 Extollit, magnosq; facit sapientia turpis:  
 Sit procul, in tenero cui sedet ore decor.  
 Tartara sunt molli potius adeunda iuuentæ:  
 Si non est aliis, sit tibi barba comes.

Aliud eiusdem.

Christi olim in terris bene qui seruarat otile,  
 Simon Petrus erat: heu modò Petrus abest.  
 Iuit pescatum Petrus, Simon manet. hic dat,  
 Hicq; rapit summi cardinis omne decus.

Dictum Pasquilli. Io. Vult.

Pontificem tollas, totum qui diruit orbem:  
 Roma caput mundi, Romaq; causa boni est.

Inuersum Pasquilli dictum.

Pontificem tollas, totum qui dirigit orbem:  
 Non mundi caput est Roma, sed anfa mali.

Pasquilli ualedictio.

Roma uale, uidi, satis est uidisse: reuertar,  
 Quum leno, meretrix, scurra, cinædus ero.

In tyrannidem quorundam  
aduersus pios. C.B.

Ut pia conspiciens cædi sua pignora mater,  
Ingemit, ex querulos mittit ab ore sonos:  
Sic pater è cœlo collustrans undiq; terras,  
Morte suos plecti uidit, & ingemuit.  
An non(mortales) nostri sat sanguinis haustum est?  
Nec uestra in natos desinet ira meos?  
Quid meruere, sui seruant si iussa parentis?  
Et pedibus nolunt nomina nostra teri?  
Dico equidem, uobis per me licet esse tyrannis,  
Infamiq; meos perdere morte licet.  
Sed tamen in poenam quamuis sim tardior, ultrix  
Sumet nostra mali dextera supplicium.

De comitijs Vuormaciensibus anni M. D.  
XLI. S. Grynæi Somnium, si-  
ue Libertas.

Quæ nouus immisit mihi Sturmi insomnia Ianus,  
Dicam, uatidici ne temne oracula somni,  
Sturmi, cui nomen Germani sanguinis iram  
Seruat adhuc, titulo & benè quadrat Martia uir-  
Consilium magnis Teuto de rebus inibat, (tus.  
Antiquata diu reuocatum dogmata Christi:  
In medio procerum Libertas tristis ex expes  
Visa astare mihi, talesq; effundere fletus.  
O' mores, ô tempora ferrea, tempora eheu:  
Pastorum specie coruiq; lupi q; rapaces,

Caulas

Caulas Christe tuas qui cæde & sanguine cōplent;  
 Iura tuo populo reddunt, & religionis  
 Huc actum causam ueniunt, nostroq; cruore  
 Rictibus imbutis ( prob ) de pietate loquuntur,  
 Lacrati horrisono timidos inuadere sueti.

Ac uelut ipsorum bonitas sit nota per orbem,  
 Nota sit at nusquam uirtus doctrinæq; Christi,  
 Præteritis uitij, medijs quibus usq; tenentur,  
 Illius antè uolunt sacrum rescindere dogma,  
 Qui in sua diuino submittere crimina iuri:  
 Atq; negant Christi regnum subsistere posse,  
 Ni nostra in cineres redigantur corpora flamma.

His cum nos uerbis contendere, quos neq; ouilla  
 Tegmina, nec longi fallunt in gutture dentes,  
 Querimus, & rabiem promissa flectere pace:

Asthi, si quondam sacris in coetibus ausi  
 Iactare ante alios se uoce locoq; fuissent,  
 Omnibus explosi officijs terraq; mariq;,  
 Infando dignam pendissent crimine pœnam.  
 Nunc autem inueniuntq; locū, summoq; locantur  
 Fastigio procerum, primi quin et agmina ducunt,  
 O frustra cæca Christi lux nocte refulgens,  
 Horrenda presi capti q; tyranni de mundi.  
 Quid sit? quid facimus? superat Papa, regnat ubiq;  
 Impietas, nobis cernemibus atq; triumphat:  
 Nec tanto è numero quisquā est hoc nomē adorans,  
 Tendere qui contrā quicat, aut se opponere uerbis.

Nostrāq; conticuit uirtus, his finibus olim  
Culta dū patribus bene laus & cognita uestris.

An cæcus quisquam est adeò , tyrannida qui nō  
Cernat , & illachrymās fortē non ploret incris  
Nunc Christi populi? quondam quis anguine fuso,  
Principis ausus erat leges per mille pericla  
Afferere, & forti defendere peccatore famam.

At iam cuncta silet, Christi stupet inscia turba,  
Omnia Roma tenet, uictrix tenet omnia Roma.  
Ex ouī sequitur graueolēs quō duxerit hircus.  
Turba sacerdotum gestit, Poecana canentum.  
Applaudunt armis proceres certare parati,  
Atonui subdunt sœui sua colla tyrannti,  
Romanusq; trahit captiuum Sisyphus orbem.

Vincimur, & frustra quisquam te Christe uocarit,  
Nam q; silet tua nunc etiam sapientia, nec se  
Ferratae quisquam potis est opponere pugnæ.

O fortē te frustra habitā Germania, quæ nūc  
Crateras inter iubantia prælia misces,  
Summa cui in magna uacuanda fama diota est.  
Teutones heu docti nimium, nimiumq; sagaces  
Eloquentio famam petere, & rem ducere uerbis.

Quid memorem uicinorum ludibria regum  
Facta tibi, liber quæ nunquam Teuto tulisses?  
Produnt Pontifici sanctum ius, sceptrāq; Christi,  
Carlus, Franciscus, Tusca potiantur ut urbe.  
Hanc sibi mercedem nostra pro cæde reposcunt,  
Pontifici

Pontifici & scelus hoc renouato fœdere firmant,  
Concelerantq; suas in soni sanguine dextras.

Passim ambusta truci spectes pia corpora flama,  
Insani pale pedentia, qui tibi Christe  
Thuris odorati nidor gratissimus esto.

Nos, quod delirant Reges, plectemur Achiui,  
Libertas quoniam siluit Germana tot annis.

Imperium Gallus uerbis auroq; licetur,  
Eſeq; uenalem prorsus nunc Teutona credit.  
Occupat antiquas ueteris decus imperij urbes  
Cæsar, quasq; augere decet, proscribit & aufert.  
Iam quem coelestis contra nos ultio bello  
Suscitat, & mittit populantem cuncta Mahmetū,  
Hunc Cæsar passim laniantem uiscera Christi  
Neglit: at Gallus sibi fœdere iungit eundem.  
Iusq; illis facere hæc, nobis sed diccre non est?  
Dicere sed fas est, quicquid prius acta loquuntur.  
Est fas, insanos armis & uoce tyrannos  
Perdere, autanti patriæ sucurrere fas est.  
Nec quisquam per nos tamen impia ad arma uoca  
Sed iusto pia Libertas cano classica bello. (tur,  
Namq; armis iustis iniusta repellere iustum.  
Pro paruo gnato, dulci pro coniuge, Teuto,  
Pro pietate deum, sanctis pro legibus equi,  
Fortia nil dubitans ciuis bonus induit armæ.

Tales Libertas imo de pectore questus  
Teuto dedit, uultu manibusq; ad sidera uersis,

Lapsa ruens, tenues uitam profudit in auras,  
 Obstupuere uiri, fremitusq; fit agmine toto,  
 Mirantur tantum latitasse in corde dolorem.  
 Ex:utior somno, strepitu sonituq; uirorum,  
 Aegraq; languenti sustollo membra sopore.  
 Atq; pugillares serum cum lumine poscens,  
 Vatidici signo non falsa oracula Somni.  
 Et tibi, quo nullum tellus Germana patronum  
 Libertatis habet firmum magis atq; disertum,  
 Certis uincta prius numeris insomnia mitto.

Vale, Cal. Ianuarij, M. D. XLI.

De comitijs Ratisbon. Anni M. D. XLI.  
 Philippi Melanchthonis  
 Somnium.

Me iussere duces fallacem pingere hyænam,  
 Et monstri speciem proposuere mihi.  
 Tetra erat, et uarijs moles confusa figuris,  
 Tecta q; lucenti sanguinolenta cute.  
 Virginei uultus, sed toruè micantia flammis  
 Luminæ, seuitiæ tristia signa dabant.  
 A collo gemini pendebant membra draconis,  
 Scyllæi tandem pars erat imæ pedes.  
 Horrebam afficiens, et toto pectore fugi,  
 Ac penè extincto sanguine uita fugit.  
 Ut pingam tamen illi urgent: non obsequor. aio  
 Iratus, pingi non leue posse pedes.  
 Quo ruitis proceres? quis mentes occupat error?

Cur

*Cur templo infertis talia monstra Dei?  
Excutor somno, gelidus tum pectore manat  
Sudor, & è subito membra stupore pauent.  
Non nihil hac moueor fortassis imagine: sed te  
Christe rogo, ut placidus pectora nostra regas.*

*Aenigma de colloquio Ratisbon.*

*Angulus & Fosso, iungentes fœdera Aratro,*

*Vincula cum tendunt imposuisse Ioui.*

*Luminis emunctor, Pistorq;, & Amator equorum,*

*Tum tendunt uinculis eripuisse Iouem.*

*Liber enim cùm sit, non fert bene Iuppiter ulla,*

*Quæ sunt humana vincula facta manu.*

**CATALOGVS QVORUNDAM  
pseudoprophetarum nostri tempo-**

*ris, à Ioan. G. A. rhythmis*

*ex tempore con-*

*cinnatus.*

*Cum uideas multos iactare sophismata stultos,*

*Quid tumidis uerbis furiose Papista superbis?*

*Christicolum fuci postponunt omnia luci,*

*Eccius atq; Faber, Roffensis, Pighius, Emser,*

*Nausea, Cochlaeus, Ditbergius, & Clithouaeus,*

*Herborn, Sagerus, Treuir lapicida, Todischus,*

*Alphösus, Mensing, Prieras, Catharinus & Using,*

*Hochstrat, Seruetus, Rex Anglicus, & Sadoleetus,*

*Gropper, Kirspësis, Stephanus quoq; Vintonensis,*

*g 5 Crocus,*

Crocus & Alardus, rostro crepitansq; Pelargus,  
 Sontius atq; Ruard, dictus cognomine Stappart,  
 Alueld, Hoffmeister, monachus clamosus & ater,  
 Vitzel, Campanus, Schnebal Tanner male sanus,  
 Factio prava schedis hæc scripsit plurima fœdis,  
 Ut premeret tristi uelamine dogmata Christi.

In Pelargum, ab Anonymo quodam  
 edita apud Treuiros.

Impuro crepitas rostro furiose Pelarge,  
 Et contra superos bella nefanda geris.  
 Peſima quæq; bonis præfers mendacia uerbis,  
 Nec tibi iustitia est, nec tibi nota fides.  
 Friuola uanilo quo mendacia gutture fundis:  
 Nec fieri melior, nec bonus esse studes.  
 Scripturis blateras sacris te cuncta probare,  
 At qui è scripturis scisq; probasq; nihil.

Ex responsione D. Philippi Melanchthonis  
 ad Colonienses, historia quædam  
 extemporali carmine red-  
 dita, per I.G.A.

Vuirtenbergensis ditionis in urbe Tubinga,  
 Sacrificus quidam relligiosus erat.  
 Hic ueluti superum demissus ab arce prophetæ,  
 Narrabat populo uerba stupenda rudi.  
 Cum seuiret enim, sternens mortalia paſsim  
 Corpora letifer & pestis auara manus.  
 Fortiter in templo clamabat: Adeste frequentes,

Omnibus

Omnibus hic uobis certa medela datur,  
 Hec inclusa uitro diui quæ cernuis ossa,  
 O' quales fructus utilitatis habent.  
 Annū preādico ruitos à peste futuros,  
 I stis qui dederint oscula reliquijs.  
 Hinc subito populus densim properauit ad illas,  
 Num norum ualuit protinus aucupium.  
 Oscula sacrificus uendebat plurima nummis,  
 Indomitæ plebis credulitate fruens.  
 Hanc grauiter tulit imposturam dux Eberhardus,  
 Talia sacrifico dicta deditq; statim:  
 Quot moritura prias hoc anno corpora, sacras  
 Diui reliquias quæ tetigere tuis?  
 Turpis amore lucri nil te pudet improbe scurras  
 Cur populum tali decipis arte meum?  
 Sacrificus placide respondit: Maxime Princeps,  
 Ab tua plebs nulla fallitur arte mea.  
 Parce precor, nec me credas imponere cuiquam:  
 Reliquias uexi laudibus, esto, sacras:  
 Quisq; tamen claro tantum dedit oscula uitro,  
 Sacris reliquijs oscula nemo dedit.  
 Hoc anno percant igitur si mille, quid ad me?  
 Duntaxat uitrum qui tetigere meum?  
 His dictis risit Princeps Eberhardus, ex istum  
 Sacrificum pepulit finibus inde suis.  
 O' quot persimiles illi sunt tempore nostro  
 Vanilo qui monachi, sacrificiq; mali:

Pocula

Pocula plena quibus meretrix Babylonica miscet,

Vt contra Christum bella nefanda gerant.

Nomine sub cuius clamant, Ecclesia, Patres:

Et populum fallunt garrulitate rudem.

Non tamen ista diu grauis impostura feretur,

Indomit is rabulis obstricta ora Deus.

Lux Euangelij cœlo demissa fugabit

Errorum tenebras: Lector amice uale.

Ad Ioannem Eccium, in collo-

quio Vormacensi.

Te gladiatorem propter Babylonis honorem

Diligo Romanæ, tu mihi leta cane.

Responsio Io. Eccij.

Si quis me spernet, mox hunc mea dextera sternet;

Vt discat miro subditus esse uiro.

Hier. Mass. pro monachis, aduersus

Martinum Lutherum.

Martinus monachos optans celebrare, uocauit

Ventricolas: uerum fallitur. ecce probo.

Essent uentricole, si uasto fercula uentri

Tanum σύχυμα darent, at λεπόχυμα uorāt.

Ipsorum, ex domibus uiduarum, mensa paratur,

Bullit & humanis olla cadaueribus.

Quod si scire uelis, qui morbi hinc fortè creentur,

Tres sunt: παράνυσις, ἔλεος, atq; furor.

Nam præcepta Patris spernunt seruare benigni:

Verbi cœlestis sensus & ipse perit:

Ore

Ore uomunt sterlus: poterit quis clarius istud

No'cere, si ipsorum foetida scripta legat.

In diram rabiem furijs agitantur inquis:

Atq; pios ferro, flumine, & igne necant.

In Monastica opera iocus Gasparis  
Bruschijs poetæ laureati.

Quām bene fecisis Monachi, quām rebus ubiq;

Egregia uestris consuliustis ope?

Quōd multo uestras uirtutes uenditis auro,  
Præsentis uitæ dum licet arce frui.

Quandoquidē in cœlis opera hæc omnino ualebut  
Aut nihil, aut ueluti praua & iniqua, parum.

Ergo alacres, istas in tempore uendite merces,  
Vendite, dum potis est uendere quisq; suas.

Tempus erit, quum uos uestris cum mercibus illis  
E' cœlo uictis, destruet ipse Deus.

Alius eiusdem Bruschijs iocus, de Julio II.

Pont. Max. ad clariss. uirū Valentiniū

Erythreū oratoriæ in inclita  
Argentina professorem.

Iulius aduersum Romæ egressurus in hostem,

Magne sub imperio Maximiliane tuo,

Clavis in Tyberim proieclis, oxyus ensen  
Fulmineum arripiens, talia lætus ait:

Quandoquidē Petri nil nos iuuat aurea clavis,

Arma, arma & gladios experiamur eos,

Quos Paulus nostra Tharsensis in urbe reliquit:  
Forfi-

Vorsitan hi melius limina nostra tegent.

Sic nunc Pontifices etiam magis arma requirunt;  
Quam claves doceant ut Galilae tuas.

At quanto melius facerent, & reclus, ipsis  
Consulerentq; sibi, consulerentq; suis:  
Si ueram fas si pietatem, & tam manifestam,  
Hæc spargi sinerent dogmata uera Dei:

Quæ Paulus quondam & Petrus docuere, docetq;  
Germani hoc nostro tempore nulle uiri.

De Monachis, Adilon.

Nō male sūt monachis grata indita nomina patrū,  
Cum numerent natos hic & ubiq; suos.

In eisdem, ex perueteri codice  
Gengenbacensi.

O Monachi, uestris stomachi sunt pocula Bacchi:  
Vos estis, Deus est testis, tristissima pestis.

De moribus Romanæ curiæ.

Aurum Roma sitit, dantes amat absq; datuio,  
Accusatiuus Roma fauere negat.

De eadem curia Romana.

Curia Romana non curat ouem sine lana:  
Dantes exaudit, non dantibus ostia claudit.

In Papam, Germanici  
rhythmi.

**Der Babst vñnd sein rott/  
Seind Engel vor Gott/**

Wie

111

# Wie Judas ein zwelfbott/ Der nam gellt, verriet Gott.

In Bullas pontificias, incerti  
authoris.

Quod tua Romulide Bullas diplomata dicit  
In sapientia adeo non mihi vulgus erit:  
Nam uidet, ut ueræ sint et sine pondere bullæ:  
Nil graue quod plumbū pectaq; cæra premit.  
Nos tamē hæc multo, quasi magna repedimus auro  
Tam stupidus quondam non puto Glaucus erat,  
Vtique mutatis aliquid qui cæperit armis:  
Hæc præter nugas nil glabra pellis habet.

In Pontificem, uel Minotaurum  
Rom. uersus Sotadei.

Laus tua non tua fraus uirtus non copia rerum  
Scandere te fecit hoc decus eximium.

Item.

Conditio tua sit stabilis nec tempore paruo  
Viuere te faciat heic Deus omnipotens.

Item.

Pauperibus sua dat gratis nec munera curat  
Curia Papalis quod modò percepimus.

Retro hæc lege Lector, ab ultima uersus dictione exorsus,  
& sensus uerus patebit.

Lælij

Lælij Capilupi cento Vergilianus, de uita  
Monachorum, quos uulgo  
Fratres appellant.

Ille ego, qui quodam cū Gallus amore periret,  
Noctes atq; dies cecini sub tegmine fagi  
Carminibus patrijs leuium spectacula rerum,  
Maius opus moueo non hic te carmine ficto  
Magnanime Aenea, nec te rationis egentem  
Infelix Dido miseri post fata Sychæi:  
At fratres rerum dominos, gentemq; togatam,  
Illustræ animas & corda oblita laborum  
Dicam equidem, fretus cithara fidibusq; canoris  
Fatidice Mantus: non omnia possumus omnes.

O' decus Italiae, magnæ spes altera Romæ,  
Cura Deum Hippolyte, proles pulcherrima bello,  
Per tot ducta uiros antiquæ ab origine gentis:  
Tu mihi, seu magni super as iam frigora Rheni  
Horridus in iaculis & pelle Libystidis ursæ,  
Arma inter regum, clypeoq; insigne paternum  
Centum angues cinctamq; geris serpentibus hydri,  
Arduus insurgens & grandia lilia quassans:  
Sive Padi ripis augusta ad mœnia regis,  
Vnde genus ducis Tyrio conspectus in ostro,  
Inter sacra deum patribus das iura uocatis:  
Da facilem cursum, atq; audacibus annue coeptis.  
Ab Ioue principiū generis, si credere dignū est:  
Dijs quanquam geniti, tot iam labentibus annis

Erra-

Errabant acti fatis maria omnia circum,  
 Nulli certa domus, habitabant nullibus imis  
 Seclusum nemus & scopulis pendentibus antrum,  
 Riparumq; thoros inter deserta ferarum,  
 Sole sub ardenti, gelidiq; sub ætheris axe.  
 Iam tum relligio pauidos terrebat agrestes.  
 Victum infelicem baccas, lapidosaq; corna  
 Dant ramis, & iuulis pascunt radicibus herbæ.  
 Pocula sunt fontes liquidi, non Massica Bacchi  
 Munera, non illis epulæ nocuere repostæ.  
 Nulla Venus, nulliq; animum flexere Hymenæi.  
 Heu pietas, heu prisca fides, quis talia fando  
 Temperet à lachrymis? Longo post tempore uenit  
 Vnus, qui nobis Deus æthere missus ab alto.

Is genus indocile & dispersum montibus altis  
 Composuit, legesq; dedit, noua quærere tecta.  
 Idem omnes simul ardor agit, labor omnia uincit  
 Improbus, & rerum fato prudentia maior.  
 Magnanimi heroes, nati melioribus annis,  
 Europa atq; Asia, super & Garamantas & Indos  
 Centum urbes habitant magnas, atq; aurea tecta,  
 Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.  
 Tantum æui longinqua ualet mutare uetus.  
 Nunc & pauperiem & duros perferre labores  
 Saxa per & scopulos, & virginitatis amorem  
 Religio uertuit monitu imperioq; deorum.  
 Quid loquor? an sua cuiq; Deus fit dira cupido?

Narratio,  
 de primis  
 Monachis.

Ut à prima  
 origine de-  
 generarint  
 posteri.

- Vicius.** Ergo omni studio læti coniuia curant,  
Ante focum, si frigus erit: si meſſis, in umbra.  
**Vestitus.** Hoc uirtutis opus: glacies ne frigida lœdat  
Molle pecus, scabiemq; ferat, turpeisq; podagras,  
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mytrae,
- Oeconomia Monastica.** At genus immortale deūm præcepta secuti  
Incumbunt generis lapsi sarcire ruinas.  
Stat fortuna domus, & cui numerantur auorum.  
Iura magistratusq; legunt, sanctumq; Senatum,  
Rectores iuuenum & rerum, regemq; tremendū,  
Et quos aut pecori malint submittere habendo,  
Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas,  
Aut aris seruare sacrīs, aut scindere terram.  
Condit opes alius, grandēuis oppida curæ.  
Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorte.  
Omnibus in morem tonsa est coma, obœſaq; terges,  
Et crurum tenus à mento palearia pendent.  
Omnibus idem animus, denso distendere pingui  
Quem legere ducem, sed non genus omnibus unū.  
**Ordinū diuersitas.** Sed neq; quam multæ species, nec nomina quæ sint  
Eſt numerus: nec enim pecurrere nomina possent.  
Non nūhi ſi linguae centum ſint, oraq; centum.  
Stat ſua cuiq; dies, breue & irreparabile tempus.  
Omnibus eſt: ueniet lustris labentibus ætas,  
**Oraculū.** Cum domus & proles ſubito defecerit omnis,  
Heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.  
Quid labor aut benefacta iuuant? ſic omnia fatig

In peius ruere, ac retro sublapsa referri  
Tum sciat, aerias alpes et Norica si qui  
Castella in tumulis uideat, desertaq; regna.

Ab exēplō  
Germanor.

Hic quondam morbo cœli miseranda coorta est  
Vanæ superstitione, ueterumque ignara deorum,  
Quam neq; fas igni cuiquam, nec sternere ferro.  
Mores et studia, et populos, consortia testa  
Sustulit ista prior Stygijs emissa tenebris.  
Mōstrū horrēdū, informe, ingēs, cui lumē adēptū,  
Odit et ipse pater Pluton, odere sorores.  
Parua metu primo, mox sese attollit in auras,  
Tam fūti prauiq; tenax, quam nuncia ueri.  
Inq; dies audum surgens caput altius effert.  
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?  
Aspice et extremis domitum cultoribus orbem,  
Et penitus toto diuisos orbe Britannos.  
Quid memorē infādas cædes, uetitosq; Hymenæos?  
Ausi omnes immane nefas, ausoq; potiti  
Corripuere sacram effigiem, manibusq; cruentis  
Diripuere aras, et religiosa deorum  
Limina, ubiq; pauor et plurima mortis imago.  
Quinetiam medias Italum bacchata per urbes  
Pestis et ira deūm, maioremq; orsa furorem.  
Haud ignota loquor, cuncti se scire fatentur.

Tertius ille hominum diuumq; interpres Asylas Paulus ter-  
Os humerosq; Deo similis, cui plurima mento tius Papa.  
Canicies inculta iacet, dependet amictus

Ironicè hęc  
de Euāge-  
lio renascē  
te dicun-  
tur.

Sordidus ex humeris, omnis quem credidit ætas  
 Semine ab æthereo, & genus alto à sanguine diuū,  
 Fas omne abrumpit, trepidusq; repente refugit  
 Pictus acu tunicas, tot sese uertit in ora.  
 Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo,  
 Seditio potens, instructus & arte Pelasga  
 Ibat, & ingenti sese clamore ferebat,  
 Consilio uersare dolos ingressus, & astut  
 Fertilis Ausonie populos sermone replebat,  
 Oblitus decorisq; sui, sociumq; salutis.  
 Ausus quin etiam sacrata auellere templo  
 Numinia magna Deūm.

Ergo omnis furijs surrexit Hetruria iustis  
 Tum celerare fugam, ueteres tellure recludit  
 Thesauros, ignotum argenti pondus & auri,  
 Conscius audacis facti penetrauit ad urbes,  
 Et genus inuisum, & diri sacraria Ditis  
 Arma Iouis fugiens atq; altæ mœnia Romæ.  
 Et nunc ille Paris cum semiuiro comitatu  
 Ignis ubi in medio, & socij cratera coronant,  
 Te libans Lenæe uocat resupinus in autro.  
 Causa mali tanti fulgenti murice uestis,  
 Inuidia infelix, laudumq; immensa Cupido.  
 Nusquam tuta fides, coluber mala grama pastus,  
 Hortator scelerum, stimulis agitabat amaris.  
 Nec requieuit enim, donec de culmine summum  
 Inter saxa uirum Stygias detrusit ad undas

Impastus

Impastus stabula alta leo ceu sepe peragrans,  
 Nunc hos nunc illos aditus, omnemq; pererrat  
 Italianam, Italianam, sinuosa uolumina uersat.  
 Arrestis horret squammis, et sibilat ore.  
 Horresco referens, dij talem auertite casum,  
 Dij prohibete minas, superet modò Mantua nobis,  
 Mantua diues auis, qualis Berecynthia mater  
 Læta Deum partu, procul ô procul este profani.  
 Dij patrij seruare domum, paruosq; nepotes.  
 Et placidi seruare pios, dominamq; potentem.  
 Te precor Alcide magnum et memorabile numē, Hercules  
 Quem primi colimus miserantē incōmoda nostra, dux Ferrā-  
 Hanc primum tutare domum, genus acre luporū.  
 Hac casti maneant in relligione nepotes,  
 Et nati natorum, et qui nascuntur ab illis.

Quo ferorū unde abij fugit irreparabile tēpus,  
 Singula dum capti circumuectamur amore,  
 Multaq; præterea post me memoranda relinquo.  
 Vos, ô Calliope, precor aspirate canenti  
 Sacra, deosq; dapes, et plenæ pocula mensæ,  
 Fortia facta patrum, magno nunc ore sonandum.

Omne adeò genus in terris populumq; patresq;  
 Mollibus è stratis opera ad lux suscitat alma,  
 Et matutini uolucrum sub culmine cantus.  
 Principiò delubra adeunt, atq; ære sonoro  
 Turribus aut altis, aut summi culmine tecti  
 Dant signum, fulgere ignes altaria circum.

Matutini  
Monacho-  
rū cœtus.

Iamq; sacerdotes soli cantare periti,  
 Velati lino uolitant, ostroq; decori,  
 Et cantare pares, & respondere parati.  
 Agmine partito fulgent, lustrantq; choreis  
 Atria, dependent lychni laquearibus aureis.  
 Missæ de-  
 scriptio. Stant aræ circum, puraq; im ueste sacerdos  
 Ter centum tonat ore deos, ter gutture uoces  
 Aut quater ingeminat, sequitur cum cætera pubes,  
 Et nostras audite preces, templiq; sacerdos  
 Ante aras plena supplex ueneratur acerra,  
 Affaturq; deos tendens ad sidera palmas:  
 Se causam clamat, crimenq; caputq; malorum,  
 Multaq; se incusat, rapidoq; hæc addidit ore:

Salve sancte parens, superi regnator Olympi,  
 Semper honos nomenq; tuum laudesq; manebunt,  
 Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo.  
 Nos tua progenies, cœli quibus annuis arcem.

Cœna my-  
 stica. Has ex more dapes, ille hæc monimenta reliquit,  
 Extrema iam in morte: hanc tanti numinis aram  
 Seruati facimus, meritosq; nouamus honores.  
 Nata patris summi, tua ne hæc per uulnera seruor  
 Morte tua uiuens? quæ causa indigna serenos  
 Fœdauit uultus? aut cur hæc uulnera cerno?  
 Vicit iter durum pietas, te ianitor Orci,  
 Te Stygij tremuere lacus, tu sceptræ louemq;  
 Concilias, tu das epulis accumbere diuum.  
 Parce pio gencri, & propius res aspice nostras.

Dijq;

Dijq; deæq; omnes, tuq; ô sanctissima uates  
Alma parens, præsens nostro succurre labori.

Hec ubi dicta dedit diuino ex ore sacerdos,  
Dona laboratæ Cereris, cœlestia dona,

Miraturq; interq; manus & brachia uersat.

Heu quid agat? uaria confusus imagine rerum,

Atq; animum nunc buc celerem nunc diuidit illuc, Corporis  
In partesq; rapit uarias, ut uertere morsus manduca-  
Exiguam in Cererem suaserunt numine diui,

Et uiolare manu, malisq; audacibus orbem

Fatalis crusti, pectus percuſſit honestum

Terq; quaterq; manu, gemitu dat pectore ab imo.

Sic ait, Haud equidem tali me dignor honore.

Et sacer impleuit dextram scyphus, ocyus omnes

Calix.

Demisere caput, percuſſe pectora matres,

Agnouere Deum proceres. ille impiger hausit

Spumantem pateram, & pleno se proluuit auro.

Ite, ait, & socios pura circumtulit unda

Spargens rore leui, & depasta altaria liquit.

Haud mora, continuò perfectis ordine uotis

Consurgit senior, diuosq; in uota uocauit

Monacho-

Nudato capite, & medio stans aggere fatur,

rum cōcio-

Asper acerba sonans, intentis omnibus unus

nes.

Fata canit fusus perpexam in pectore barbam,

Edocet humanis quæ sit fiducia rebus,

Tartarea etiam fauces noctemq; profundam,

Et coniuratos coelum rescindere fratres,

Supplicia & scelerum pœnas, sedesq; beatas,  
 Ambrosiæ succos, & odoriferam panaceam,  
 Admonet, immiscetq; preces, alternaq; iadlat  
 Brachia protendens, flammantia lumina torquens  
 Obtutu tenet ora, soloq; immobilis hæret,  
 Incipit effari, mediaq; in uoce resistit.  
 Omnia transformat, se in miracula rerum.  
 Ille sitim morbosq; ferens mortalibus ægris  
 Horrendas canit ambages, præsensq; minatur  
 Exitium, ueterum uoluens monumenta uirorum,  
 Aestusq; et pluuias & agentes frigora uentos,  
 Obscenamq; famem & tristes denunciat iras.  
 Horrescunt corda agricolis, stupet inscia turba.  
 Vota metu duplicant matres, actæq; furore  
 Misericordia, miseri. Conclamant, resonant latè plangoribus ædes,  
 Lamentis, gemituq; et fæmineo ululatu.  
 Talia uociferans solio se tollit ab alto,  
 Tempora nudus adhuc, tunicaq; inducitur artus,  
 Tum uirgam capit, hac animas ille euocat Orco.  
 Hunc circum innumeræ gentes, miserabile uulgas,  
 Confessio. Post alij proceres, uitæ & criminæ discit.  
 Munera portantes eboris, auriq; talenta,  
 Setigerosq; fues, Dodoneosq; lebetas,  
 Prosequitur uenia, & uerbis compellat amicis.  
 Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos  
 Castigatq; auditq; & ad impia tartara mittit.  
 At qui diuitijs soli incubuere repertis

Fulmine

Fulmine deiecti, fundo uoluuntur in imo.

Atq; ea diuersa penitus dum parte geruntur,  
Tectum augustum, ingens, cētum sublime colūnis  
Instruitur, medijsq; parant conuiua tectis.  
Ordine ahena locant alij, flamasq; ministrant,  
Pars calidos latices, uerubusq; trementia figunt  
Terga suum, centum pingues cum matribus agnos.  
Pars epulis onerant mensas, Cereremq; canistris  
Expediunt, tonsisq; ferunt mantilia uillis.  
Supponunt alij cultros, Bacchumq; ministrant.  
Discurrunt, uariantq; uices, arisq; relictis  
Perpetuis soliti patres considere mensis  
Circū claustra fremunt, arrestisq; auribus astant,  
Intenti expectant signum, diuo s̄q; precantur.

Apparatus  
prandij.

Tum pater omnipotēs, rerū cui summa potestas, Abbas.  
Tandem progreditur, magna stipante caterua.  
Monstrū horredū, ingēs, crassū farragine corpus,  
More patrum solio medius consedit auitō.  
Ille operum custos, illum admirantur, & omnes  
Circumstant fremitu denso, cūm sēpe coorta est  
Seditio, s̄eu itq; agitans discordia fratres.  
Ille regit dictis animos, fratresq; superbos  
Imperio premit, ac uincis & carcere frenat.  
Ne pueri, ne tanta animis assuescite bella,  
Tuq; prior, tu parce, genus qui ducis Olympo,  
His animaduersis opera inter talia primus  
Ultrō animos tollit dictis, atq; increpat ultrō.

Monacho-  
rum conté  
tiones.

Prior.

b s O socij

O' socij, nec enim ignari sumus antē malorum.  
 Hæc erat illa famæ, hæc nos supraea manebat  
 Per uarios casus, per tot discrimina rerum  
 Exitijs positura modum: nunc viribus usus,  
 Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.  
 Quicquid uoti optastis adest, sic itur ad astra.  
 Ergo agite, et cuncti nunc illas promite uires,  
 Communemq; uocate Deum, et date uina uolentes.

Hic finis fandi, solio insonuitq; flagello.  
 Utq; dato signo spacia in sua quisq; recessit  
 Ordine cuncta suo, tunc facta silentia linguis.  
 Sic animis iuuenum furor additus, inde lupi ceut  
 Raptore atra in nebula rapiuntq; ruuntq;  
 Diripiuntq; dapes, contactuq; omnia foedant.  
 Nec mora nec requies, olli certamine summo  
 Tergora diripiunt costis, tum dente tenaci  
 Dant sonitus, duro crepitant sub vulnere male.  
 Impletur ueteris Bacchi, pinguisq; ferimæ,  
 Teuthonico ritu uertunt crateres abenos.

Postquam exēpta famæ epulis, uox omnibus una,  
 Cœlicolum regi grates persoluere dignas  
 Non opis est nostræ: media inter talia uerba  
 Nescio qua præter solitum dulcedine leti  
 Deuenere locos lætos, cantusq; dedere:  
 Ceu quondam niuei liquida inter nubila cygni,  
 Cum se se è pastu referunt, hic flumina circum  
 Fundit humus flores, texunt umbracula uites.

Hic

Monacho-  
rum uora-  
citas.

Monacho-  
rum lusus.

Hic gelidi fontes & prata recentia riuis,  
 Speluncæ, uiuiq; lacus, ac lustra ferarum.  
 Tum laqueis captare feras, & fallere uisco  
 Impendunt curas, & retia ponere ceruis,  
 Auritosq; sequi lepores, & fluminis alueo  
 Cum uenti posuere, aliis trahit humida lina.  
 Pars in gramineis exercent membra palestris,  
 Et tenues rumpunt tunicas per opaca uiarum.  
 Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.  
 Consonat omne nemus strepitu, risuq; soluto.  
 Tunc pietate grauem, ac meritis si forte uiru quem  
 Confexere, silent, aut uersi terga dedere.

At patiens operum, paruoq; assueta iuuentus,  
 Aut onera accipiunt uenientum, aut agmine facto  
 (Fit uia ui) penetrant aulas & limina regum.  
 Discurrunt alij ad portas & tecta domorum,  
 Conuectare iuuat prædas, & uiuere rapto.  
 Venturæq; hyemis memores quæsita reponunt,  
 Aut foetus ouium, aut urentes culta capellas,  
 Castaneasq; nuces, pariter frumenta sequuntur.

Interea socios uocat alta in templo sacerdos  
 Iampridem resides, agrisq; effusa iuuentus  
 Vndiq; conueniunt, & tristia funera ducunt,  
 (Ne quid inexpertum) crepitantiaq; æra secuti  
 Tum gemini fratres, nec multum discrepat ætas,  
 Funereas rapuere faces, de more uictuso  
 Incedunt pueri, defunctaq; corpora uita

Monachi  
aulici.

Mendican-  
tes.

Funera ut  
ducat Mo-  
nachi.

(Quod

(Quod genus hoc hominū?) Læti clamore reportat  
 Hic matres miseræ, pueri q; parentibus orbi  
 Flent mœsti, resonat magnis plangoribus æther.  
 Spargitur & tellus lachrymis, & molle pheretur.  
 Ipsæ lætitia uoces ad sidera iactant  
 Per medias urbes, longa cum ueste sacerdos  
 Lustrauitq; uiros, dixitq; nouissima uerba  
 Manibus & cineri. Quam molliter ossa quiescet.

Mortuos  
spoliant.

Tum lecti iuuenes media testudine templi  
 Incurrunt densi, spoliantq; calentia membra  
 Religione patrum, foueisq; abscondere discunt.

Cœna.

Deuexo interea propior fit uesper Olympo,  
 Tecta petunt, multa referunt se nocte minores,  
 Instaurant epulas, & mensæ grata secundæ  
 Dona ferunt, noctem flammis funalia uincunt.  
 Aduoluere sociis ulmos, igniq; dedere.  
 Inuitat genialis byems, curasq; resoluit.  
 Tunc somni dulces, & tunc mollissima uina.  
 Postquam prima quies epulis mensæq; remotæ  
 Porticibus longis, nil magnæ laudis egentes  
 Inualidiq; senes somno uinoq; sepulti  
 Conticuere, sopor fessos complectitur artus.  
 Omnibus una quies, operum labor omnibus unus.

Monacho-  
rū libido.

At non in Venerem segnes, & dulcia furtæ  
 Egregij forma, & primæuo flore iuuentus,  
 Defensi tenebris, & dono noctis opacæ  
 In furias ignemq; ruunt, nec claustra nec ipsi  
 Custodes

Custodes sufferre ualent, amor omnibus idem.

Multi præterea, quod rebus restat egenis,

Sæpe manu liquido distendunt nectare cellas.

Proh pudor.

Magnanimum Herorum pertentant gaudia pectus,

Solamenq; mali distillat ab inguine virus.

O fortunatos nimium, sua si bona norint,

Non absunt illis saltus, armentaq; læta.

Cælati argenti sunt, auri multa talenta,

Sacra deum, sancti q; patres, & chara fororum

Pectora mœrentum tenebris & carcere cæco

Moniales.

Centum ærei claudunt uectes, & sepe sine ullis

Coniugijs uento grauidæ, mirabile dictu,

Relligione sacra, non hæc sine numine diuūm.

Ironia.

Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Credo equidem, nec uana fides, genus esse Deorū.

Salue uera Louis proles, tibi nomina mille,

Epilogus  
ad Mon-  
chos, om-  
nium & la-  
borū & pe-  
ricularum  
expertos.

Dives opum, dives pictai uestis & auri,

Omnes cœlicolas centum complexa nepotes.

Hinc Italæ gentes, omnisq; Oenotria tellus

In dubijs responsa ferunt, tibi maxima rerum

Verborumq; fides, & nescia fa llereuita.

Cura tibi Diuūm effigies & templi tueri.

Europam atq; Asiam magno turbante tumultu,

Nō equidē inuideo, ipsa procul discordibus armis

Haud impacatos à tergo horribis Iberos.

Non unquam somnos abrumpit cura salubres,

Atq; utinam ex uobis unus uestriq; fuisset

Aut

*Aut custos gregos, aut maturæ uinitior uite.  
Omnia uincit amor, quis enim modus ad sit amoris  
Ille mihi thoraca simul cum pectore rupit,  
Transadigit costas, liquitq; uolatile ferrum,  
Altius ad uiuum persedit uulnere mucro.*

*Quid facerem et alii possim me opponere mostro?*

*O fortunatæ gentes, genus ab Ioue summo,*

*Vobis parta quies: nos flendo ducimus horas,*

*Bella no-  
stri seculi. Nos alias hinc ad lachrymas eadem horrida bellè  
Fata uocant, scuit toto Mars impius orbe,*

*Regibus inceſſit magno discordia motu.*

*Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellunt,*

*Turbidus & torquens flauentes Ister arenas,*

*Extremiq; hominum Morini, tot millia gentes*

*Arma ferunt Italæ, sanguis nouus imbuit arma.*

*Nunc etiam horribili uisu portenta sequuntur,*

*Obscenæ uolucres (id rebus defuit unum)*

*Aetheraq; obscurant pennis, camposq; patentes*

*Facta nube premunt: En queis conseuimus agros?*

*Nec tantis mora prodigijs, bella horrida, bella,*

*Et Tybrim multo ſpumantem sanguine cerno.*

*Turca. Ecce inimicus atrox, genus insuperabile bello,*

*Victor ab aurora populis summasq; minatur*

*Deieclurum arces Italum, excidioq; daturum*

*Aere cauo, curruq; uolans dat lora secundo*

*Per Graium populos & Iapidis arua Timai.*

*Heu quantæ miseris cædes Laurentibus instant.*

*Ventum*

Ventum ad supremum est, en quo discordia ciues  
Perduxit miseros? nec habet fortuna regressum.

Hos inter motus, atq; hæc certamina tanta  
Ipsa immota manet, spectatq; interrita pugnas  
Chara deum soboles, solido de marmore templæ  
Assiduo resonant cantu: nec ferrea iura,  
Insanumue forum, aut populi tabularia uidit.  
At q; metus omnes strepitumq; Acherontis auari  
Subiecit pedibus, non ulli obnoxia curæ.  
Et spectare dapes, solennes ducere pompas  
Ad delubra iuuat, cæsosq; uidere iuuencos.  
Hic amor, hoc studium, summa nituntur opum ut  
Regales inter mensas, nymphasq; sorores  
Sideris in numerum, atq; alto succedere cœlo.  
Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.

Scilicet.

Viuite fœlices, ô terq; quaterq; beati,  
Quo res cung; cadet, si quid mea carmina possunt,  
Nulla dies unquam memori uos eximet ævo.

In uocabulum Papæ, ad ipsam  
Romam: Bruschius.

Hispanis Papa est, deformis struma. Quid isto  
Signari uoluit nomine cura Dei?  
Scilicet hoc: ueluti corpus deformat honestum,  
Sub medio turpis gutture struma tumens:  
Sic inhonestatur ueneranda Ecclesia Christi  
Monstro, quod Papam perfida Roma uocat.

F I N I S.

OCN 66859042